




1
6
123









THEOTOCODIA
SIVE PARTHENODIA
OPVS EXIMIVM

In laudem Deiparae Virginis.

Auctore T. Prospero Martinengio Brixiano, Monacho Casinate.





PERMISSV SVPERIORVM.

ROMAE Apud Franciscum Zannettum.
M. D. LXXXIII.

282

CATALOGVS CELEBRIORVM NOMINUM Deiparae Virginis in hoc opere declaratorum.



284

septem diebus sollemniter celebratum. Item de arbore, quam Rex Persarum vidit apud Danielem.

De cedro exaltata in Libano.

De oliua speciosa in campis.

De cupresso in monte Syon.

De nardo suauiter spirante.

De myrra electa.

De platano iuxta aquas in plateis exaltata.

De Rosa, vbi memorantur causae, quibus Regina caeli nos tuetur, ac protegit.

De lilio, vbi quaedam declarantur obscura ex cantico canticorum.

De vite fructificante suauitatem odoris, & eiusdem vitis floribus, vbi etiam agitur de virga Aaronis, quae repente reuiruit, floruit, & amygdalas protulit.

De columba, vbi etiam pulcra quaedam referuntur de illa columba, quae ramum oliuae detulit in arcam.

De aquila auium Regina, vbi similiter agitur de amethysto & gagate lapidibus pretiosis.

De ape, vbi etiam ostenditur, cur Zosimus summus Pontifex instituit caereum accendi tempore paschali.

De domo Domini, vbi agitur de scala, quam Patriarcha Iacob vidit insomnis ad caelum pertinentem.

De sanctuario, seu tabernaculo, quod instruxit Moyses. Item de Arca foederis.

De tẽplo Domini mirificè descripto, & Virgini adplicato.

De Solio, siue throno Salomonis, cuius structura mirabilis explicatur, & Virgini adplicatur.

De ferculo Salomonis, vbi declaratur quid sit lectulus Salomonis, & qui nam erant heroes, qui custodiebant illũ.

De candelabro aureo, descripto à Zacharia propheta, vbi declaratur quid significent illae binae oliuae, quas idẽ propheta vidit iuxta illud stantes, addito mirifico Virginis encomio, quod Apostolorum princeps Petrus in eiusdem Virginis funere cecinisse perhibetur.

Τλὼ



Τὴν παροῦσαν σύνταξιν τῷ σωτῆρι
χριστῷ ἀνατίθησιν.

Ἀνάθημα τοῦτ' ἐμμελὲς,
ζαθέα σέθεν ματέρι
τόγ' ὕφηνα σῶτερ μέγα
μερόπων ῥύοις ἀθλίων,
ἀνὰ σοὶ θέμεν ποικίλον
θέλον, οὐ γὰρ εὗρόν τινα
πλέον ἄξιον δωρεᾶς
μελέων κλυτῶν ῥέος
θεόπαιδος ὑψιθρόνου.
σὺ δὲ παρθένῳ κυδίμα
στεφάνωμα, καὶ κρήδεμνον,
ὅ,τ' ἔπλεξα δρέψας δίκαν
ἱερᾶς μελίσσας ὕμνων
πέταλ' ἁδέων εὐαγῆ,
θέσο σαῖς ἁγναῖς χείρεσι
περὶ κρατὶ νικαφόρου
χαρίεντι νύμφας ἄναξ,
πολυωνύμου θεοτόκου.
μετὰ πότμον ὡς πότνια
με δέχοιτο πρὸς δώματα
μακάρων ἀκηδέων ποτὲ
τὸν ἀοιδὸν αὑτᾶς κόρα,
ἁ ὀλυμπίων δεσπότις,
ἵνα τὰν ἐν αἰῶνι τῷ δ'
ἀγάπησα, καὶ ᾔνεσα
κελαδεῖν δυναίμαν μετὰ
ἁγίοισιν ἀθροίσμασιν,

286

Argumentum huius operis.





N hoc opere in laudem Mariae Dei Genitricis conscripto, quaedã praecipua nomina ipsius Virginis μυριωνύμου συμβολικῶς explicantur: quorum explicationes magna ex parte desumptae sunt ab innumeris propemodũ priscis catholicis patribus, Ecclesiaeq; doctoribus, qui hanc diuinã puerperam summo studio, ac deuotione celebrarunt. Verum quia Esther Reginae, qnae & Edissa vocabatur, nomen & acta ipsi Reginae caeli mirè congruunt, vtpote quae ipsam veluti quaedam vmbra suum corpus praecesserit; visa est potissimum digna, quae hoc opusculum auspicetur. Nam Esther, si interpreteris, abscondita sonat, & propterea hoc suo nomine ipsam augustissimam Dominam designat, & exprimit; quippe quae etiam ab Isaia propheta abscondita, siue abdita Virgo nominetur. Id etenim significat העלמה. Quatenus vero Esther populũ suum ab imminenti clade liberauit, & hoc praecipuè facto Sospitae huius nostrae praestantissimae notabile quoddam praeludium praetulit, & figuram, nam & ipsa non quidem Persarum, Medorumque Regi, vt Esther, iugata, sed Regis caeli sponsa facta genteis perditas, ac planè conclamatas ab aeterno exitio vindicauit. Quod autem ad carmen attinet, id est trochaicum tetrametrum catalecticum, quale est. Da puer plectrum choreis, vt canam fidelibus, Dulce carmen, & melodum gesta Christi insignia, vel (vt ethnicis vtar) Punico bello secundo Musa pennato gradu Intulit se in bellicosam Romuli gentem feram.





DE ESTHER REGINA, QVAE FVIT REGINAE CAELI MARIAE FIGVRA.



AEC Dei praeclara Mater Christianos
sospitat,
Sospitat suis fideles supplicationibus
Facta magni sponsa Patris, sponsa summi
principis.
Vnde Iuno incesta nomen non meretur
sospitae,
Quod vetustas caeca quondam addebat olli perperam,
Sed Maria Soticena, sospitatrixq; vnica est.
Nam prius quàm parturiret aestuans incendio
Feruidae deuotionis deprecabatur frequens
Pro redemptione magnum gentis humanae Deum.
Suntq́; rerum qui sacrarum scriptitent interpretes,
Quando eam conuenit ardens repperisse Archangelus
Lectitantem rite psalmum quartum, & octogesimum.
Atq́; vbi iam comperisset corporandum maxumi
Filium Patris profusis expetisse lacrumis,
Ne supersederet vltra, sed veniret protinus.
Sicq́; pro cunctis puella feruida exaudirier
Pro sua fide meretur, quodque censebat fore
Alteri dandum, potitur ipsa munus dignior.
Namq; permagni aestimabat, si Genetricis Dei
Seruola infima esse posset: sed parentis inclytæ
Ipsa adepta est dignitatem, & nomen vna Sospitae.
Nec modo ante Regis ortum supplicabat principi
Caelitum pio, sed vsque nunc quoq; ardens supplicat,
Ne Dei nos perdat ira facta nostra ob impia.

Quòd rei ſi exemplar huius vis habere idoneum,
Pulcrae Ediſſae ne pigeſcat paginas euoluere,
Ad ſuamq; veritatem imaginem tranſducere.
Haec erat, quam dico, Ediſſa patre apella proſata,
Dicta & Esther puſa pollens formae inaeſtimabilis
Dote, & ore praeter omneis liberali praedita.
Ergo tali formae honore Virgo conſpicabilis
Aſſueri delibuta Regis in cubiculum
Ducta alijs plus allubeſcit, pluſq; amatur faeminis.
Nam priore contumaci repudiata coniuge,
Quamlubet forma eleganti, propter inſolentiam,
Hanc ſibi deſpondet omni praeditam modeſtia.
Sicq; Regi electa coniux pluribus de milibus.
Regiam capit coronam regijs cum cultibus,
Particeps fit una regni, fitq; opum regalium.
Regijſq; amplum adparatur ſatrapis conuiuium
Nuptijs pro pulcrae Ediſſae, proq; fauſta copula,
Feriantur oppidani, feriantur ruſtici.
Rura iam nemo colebat, ſaecla ceſſant bucera,
Rex iubet prouinciatim larga dona diuidi.
Sic ſuos tuendi Ediſſae fit tribuleis copia.
Hi neci proſcripti acerbae dandi erant crudeliter,
Sed prece eius immerentes liberantur ſupplici,
Cum ſuaq; infenſus hoſtis factione plectitur.
Forte apud Regem potentem barbarus quidam inſolens
Tum locum ſummum tenebat dictus Aman ſplendidũ
Non ſua uirtute nactus, ſed dolis faſtigium.
Hic honoris culmine auctus factus inſolentior
Regem atrox necare tentat, atq; regnum inuadere,
Sed nequit per Mardochaeum machinis patentibus.
Hic erat formoſae Ediſſae patruus, puellulam
Qui ſibi adſciuit relictam patre defuncto ſuo,
Atq; pro ſua educarat filia cariſſuma.
Sic latro furens in omnem ſtirpem Hebraeam hoſtiliter,
Hanc petit damnari iniquis callidus calumnijs,

Impe-

Impetratq; internecari regio psephismate.
Quam quidem stragem cruentam Mardochaeus sedulus
Comperit, neptiq; curat indicandam protinus,
Admonetq; Regem adire pro propage patria.
Ergo ubi resciuit omnem, detegente patruo,
Funeri cognationem destinatam flebili
Per dolum furentis Aman perduellis pessumi,
Patrij Dei inuocato praepotenti nomine,
Magnum adit spectanda Regem sponsa uoltu florido,
Illiusq; extinguit iram, gratiamq; apiscitur.
Nam throno descendit aureo Rex in occursum obuius
Prodiens Reginae, & olli quòd manu contingeret,
Indicem regale sceptrum porrigit clementiae.
Dic, ait, Regina quae nam nunc tua est petitio?
Quid tibi uis? pande Regi: namque nostrum aequabili,
Si petas, tecum lubenter sorte regnum diuidam.
Illa ad haec, peto salutem Rex meam, & gentis meae,
Quam malus proscripsit hostis, & neci addixit ferae
Criminator noster Aman nostrũ apud Regem optumũ.
Si tibi gratum quid egi, dulce si quid est meum,
Litteras iube rescindi, fac eas quaeso irritas,
Quae meam censent perire nationem funditus.
Qui queam uidere caedem, qui pati gentilium
Tot meorũ stragẽ iniquam, praestat ipsam occũbere,
Quàm superstitem manere crimini nefario.
Ille vero dixit. Esther fide coniux Regia,
Nil mali gustabis ipsa, nec tuorum quispiam,
Cum suis sed asper Aman pascet in cruce alites.
Haud enim delere tantum discupit gentem tuam,
Verum & ipsum machinari perfidum in caput meum
Comperi, uita uolentem, meq; regno euertere.
Hocce dicto, extemplo uerbum fit ratum quod dixerat.
Quoq; atrox uolebat Aman Mardochaeum adfigere,
Is statim portas gabalo pendet ante Susias.
Quin opum quodcumq; habebat cum domo aduorsarius

Tradidit formoſae Ediſſae Rex ad vnum filijs
In trabeis atras adactis, interemptiſq; omnibus.
Sicq; nactus quod parabat alteri ſuſpendium
Interit malignus Aman, ſic apellae imtoxij
Liberantur clade triſti cum fauore maxumo.
Inde lux noua exoriri viſa volgo proditur,
Proq; luctu informi, & atra mentium caligine,
Gaudiumq; adfulſit almum, laetaq; ore fauſtitas.
Quæ ferè conlata reddunt cuncta ſanctam Virginem.
Haec enim Regi iugatur non quidem ipſa Achaemeni,
Sed ſupremo intacta Patri, fitq; conſors imperi,
Imperi terrae virentis, atq; ſtellantis poli,
Caeruliq; ponti, & vnà turbulenti tartari,
Ceu decet ſponſam beatam conditoris omnium.
Nec gregem uerpae popelli peſte crudeli eripit,
Sed fideleis uniuerſos orbis huius ſoſpitat
Adſidens Deo precatrix pro ſalute gentium.
Numquam enim patrocinari deſinit mortalibus,
Cum ſuis profana ſaecla iamdiu piaculis
Truſa in Orci ſtagna abiſſent, Diua ni intercederet.
Huc facit quòd adcidiſſe Regis Eſther proditur
Ad pedes, petiſſeq; Aman abrogari litteras,
Quæ ſuos terras per omneis interire edicerent.
Sed quid eſt nece imminenti quòd piæ genti Iſrael
Regia ingreſſae tetendit limina Eſther ſupplici
Perſicus Rex, lenitatis ceu uadem, virgam auream?
Nempe quòd Maria in ipſa publica clade omnium,
Per fidem caeleſtem adiuit Patrem, & ille filium
Tradidit, placationis ceu ſuae fidum obſidem.
Tunc enim porrexit almae Virgini ſceptrum aureum,
Mox vt ipſa Gabrieli dixit internuncio
En heri ſummi miniſtra, quod refers fiat mihi.
Quin poteſt per ſceptrum & aliud rite porrectum accipi,
Nempe apex regalis ille, quem Deus ſponſae ſuae
Detulit relatae in aſtra cum coruſco corpore.

Iam cape, inquit; dignitatis Diua uirgam regiae.
Possideto caelum, & omne quod patens caelum obtegit.
Esto caelitum Imperatrix, atq; princeps gentium.
Adside Regina dextris à meis in gloria,
Sempiterna, dextra semper quae stetisti in gratia,
Et mihi seruisti amictu culta uirtutum omnium.
Quòd priori reprobata pulcram Edissam coniuge
Duxerit sibi Assuerus, dat loco Heuae turgidae
Virginem adsciuisse mitem prouidam mentem Dei.
Id dabat fontis pusilli quam scatebram uiderat
Patruus decentis Esther per quietem vortier
Magni in vndas profluentis, uorticesq; lympidos.
Quòd suae nepti periclum Mardochaeus indicat
Omnibus uitae imminere, quae mala impendent suis
Virginem admonere clamat virginalem spiritum.
Nam sonat contusionem tale nomen myrream,
Siue myrram electiorem, spiritu quod Virginis
Congruit nil adpetenti, nilq; amanti terreum.
Quòd diploma uero mortis Rex prece Esther abrogat,
Turbaq; omnis liberatur, submonet chirographon,
Quo rei tenemur omnes, per Mariam scindier.
Porro quòd res hostis Esther interempti traditur,
Et domus, nostrae salutis signat aduorsario
Nos ademptos deputari Virgini peculium.
Quippe atrox calumniator, carnufexq; pessumus
Hic typum tenebrionis adfigurat orcij,
Qui genus mandare nostrum flagrat erutum chao,
Caeterùm quòd optionem larga liberalitas
Regis ampli principatus florulentae coniugi
Obtinendi portionem dimidiam sui facit,
Duplicem uigere partem clamitat regni Dei,
Alteram iuris seueri, & alteram clementiae,
Virginemq; optasse partem, quam secundo diximus.
Haud enim Regina gaudet iuris adpellarier,
Sed benignae lenitatis, unde siquis senserit

Se rigore iuris angi, imploret eius gratiam.
Omnibus patescit eius semper indulgentia,
Comitasq; singularis, omnibusq; adfabilem
Exhibet sese inuocata, nemini se denegat.
At dapes pro foedere Esther nuptiali dapsiles,
Quas suis Rex adparauit Persicus primoribus,
Otiumq; indictum, & ampla distributa lautia
Innuunt nouosq; gustus, & nouum augmen gloriae
Ciuibus datum supernis, tum leuamen gentibus.
Quom beata caeli in aulam ducta sponsa in corpore'st.
Quippe multi prodiderunt ex vetustis patribus
Nominis clari Mariam tertia demum die,
Postquã obijt, membris resumptis, emigrasse in aethera.
Istiusq; facti in Esther omen anteuorterat,
Et notabilis figura, nempe quando tertia
Luce mundo & ipsa sumpto gloriosa adparuit.
Comptus ille insignis Esther tertia sumptus die
Sponsae amictum singularis luculenti corporis
Adstruit deductae in astra cum corusco lumine;
Quando gens caeli obstupescens se rogabant inuicem
Quae supernum scandit axem Virgo tam spectabilis,
Intuens lunae nitorem, solis instar candida?
Tum tubae clanxere cunctae militum caelestium,
Et Dei omnes iubilarunt laetiores filij
Dulcem Heram suam intuentes, & Patris sponsam sui.
Quippe si uiri pusilli adgratulatur nuptijs
Ipsius familia tota, quid putandum quom Deus
Virginem ad sese recepit caeterarum antistitem?
Sed refer mens quando faustas auspicasse creditur
Nuptias Pater supremus. nempe quando nuntio
Adnuit, promptamq; Virgo se obtulit Deo obsequi.
Nam simul se se paratam dixit esse seruolam
Caelitum parere Regi, tum placere ex omnibus
Coepit ante quae fuere, & quae futurae in posterum.
Atq; ita alma digna sancto uisa contubernio,

Spiritu Regi supremo copulatur auspice,
Fitq; sponsa intacta Patris, fitq; mater unici.
Tum liquoris purpurantem transiere inuitei
Florem aquae uirtute Verbi, nempe nostra humanitas
Est nouo potita honore, quando homo'st factus Deus.
Tum putem illam cantionem cantitasse nobilem.
Tandem in eius conquieui, quem cupiui, umbraculo,
Atq; compos carpo dulcem gutturi fructum meo.
Me rosis fulcite amici, me corollis floreis,
Meq; constipate malis suauiter fragrantibus.
Langueo deuicta forti caritatis uolnere.
Sed quid Esther forma signat elegantis corporis,
Caeteris qua ibat ante? signat alma in Virgine
Indolem diuinam, & altae sanctitatis gloriam.
Treis gradus qui prodit istaec acta pulcritudinis
Nobilis percenset auctor, queis puella impensius
Digna amari est uisa cunctis, digna tolli ad sydera.
Quippe ait uenusta ualde, & admodum spectabili
Formae honore clara Edissa praenitebat omnibus,
Omniumq; se se agebat gratiosa adspectibus.
Prima forma erat Mariae luculenta caritas,
Qua Deum perfectè amabat, at seconda castitas
Singularis, prima uotum qua pudoris protulit.
Tertiam reor fuisse, quam peculiariter
Ipsa respectasse ab alto numen almum praedicat,
Ex eoq; se beatam dictitandam ab omnibus.
Haud enim communiori more, sed profundius
Semet abdicauit omni spiritus ferocia,
Ceu puella nuper orta facta, ceu columbula.
Quippe ni floreret istac cultione amabili,
Quàm profari posset ulla lingua, quamuis eloquens,
Haud adepta nomen esset omnium potissumum;
Vt Dei mater clueret, & Parens altissumi,
Ceu sacri sanxere patres clara in urbe Amazonum.
Obstruentes os profanum contumacis Nestori.

Et licet decore tanto mentis niteſceret,
Haud tamen cedebat ulli dignitate corporis;
Sed ſimul pollebat vna formae vtroq; munere.
Quod ſi aues dictum adprobari, conde fido in pectore
Quae canit cantor fidelis; tota amica tu mea es
Pulcra, tota amore digna, nulla ineſt labes tibi.
Nulla deformat pudici pectoris celſum decus,
Nulla voltus liberalis florulentam gloriam,
Sed ſimul perfecta honeſtas te ornat intus, & foris.
Nec uacat ſenſu, peruncta quod feratur, myſtico
Pulcra Ediſſa. Virgo gratijs nam fuit lita omnibus,
Quas ſolet paterno ab ore flare manans ſpiritus.
Proditur ſtipaſſe Ediſſam ſeptem heram pediſſequas,
Virgini ſed turba uirtutum omnium haerebat comes,
Quatuor repertae in orbe, treisq; lapſae ex aethere.
Haec erant ſeptem ſigilla, quae librum obſignauerant
Virginalem, ſeptem ocelli rupe ſculpti in ardua:
Daedalum poſtae lucernae tot ſuper candelabrum.
Tot thronum ad Dei micabant lampades praefulgidae.
Quin columnae fulciebant tot domum Sapientiæ,
Haec erant, ſibi Potentem magna, quae feciſſe ait.
Scilicet mentem quòd eius fecit eſſe credulam,
Reddidit quòd eius aluum fertilem almo germine,
Perpetemq; integritatem iuſsit eſſe in corpore.
Adde quòd repleuit eius cor benigniori ope,
Caeteriſq; auguſtiori culmine euexit decus,
Et nota celebriore ſanctitatem inſigniјt.
Tum parentem culpae ademit demum ab ipſa fomitem.
Virgini tot obſequuntur noſtrae herili gratiae.
Tot miniſtrae indeſinenter adferunt laudes nouas.
Quòd ſi ais poſſe obſequelam ancillularum intellegi
Principes ſeptem angelorum, qui miniſtrant iugiter
Virgini, verum probatur id quoq; eſſe maxume.
Quippe ſi ſeptem hierarchi ſemper adſtant ſpiritus
Principi Deo, manetq; Virgo ſancta cum Deo,

Obsequi necesse eosdem Virgini almae identidem.
Quin alias nixa inuenitur seruolarum in altera
Florida Esther, laxiorem sublegebat insequens
Vestium sinum fluentum, syrma longumq; altera.
Sicq; mater sancta viuis semper incumbit thronis,
Lucidis dico cateruis dicta Domina caelitum,
More gnati, ancilla prima tale fulcrum delicat.
At secunda signat illos, qui student uestigia,
Illiusq; exempla morum sedulo sectarier.
Talem humi sensum fluentum lectio dat vestium.
Sed quid ille ornatus Esther, quidue quaerit splendidus
Ille cultus liberali regio olli munere
Adtributus, quo niteret omnibus conspectior?
Innuit summum decorem luculentae gloriae,
Quo Pater sponsam expoliuit sempiternus vnicam,
Vt coruscet, inter astra sicuti Sol aurea,
Nam potenter traxit ad se quod propheta praecinit,
O Deus praeclara dextris à tuis culta adstitit
Aurea Regina palla, compta serto gemmeo.
Ecquid aurum, quidue viria, sponsa qua circumdatur,
Fert, nisi illa mille millia militum coelestium,
Qui ministrant semper olli, more limbiq; ambiunt;
Vnde & illi conuenire quis neget praeconium,
Quo prius se clarus ille fecit indignum Cherub,
Qui Deo desciuit, atq; gloriam omnem perdidit.
Est tuum tegmen Maria maxumi preti lapis
Omnis, omnis gemma fulgens te coronat sardius,
Te topazius virescens, teq; iaspis lucidus,
Aureusq; te lapillus comit, ac rubens onyx,
Et nitor berylli amoenus, & lepos sapphirinus,
Comit & pyropus ardens, & viror smaragdinus.
Veste tali compta fulget virgo, tali tegmine.
Tu vetus liuore serpens impotenti rumpere,
Quòd caput tuum puella contudit calcaneo.
Et decus clarum, excidisti quo tua arrogantia,

Quòd minorem se autumabat omnibus mortalibus,
Induit, te pessum eunte, cum tuis fallaciis.
Et modo ecce collocatur in Dei monte arduo,
Igneos inter lapillos, vnde tu proiectus es,
Putidum tamquam cadauer luce cassa in tartara.
Nec modo ordines noueni magnam honestant Virginem
Circum eam stantes, sed omne quidquid in caeli domũ
Pulcrum ab orbe commigrauit seruit eius gloriae.
Patriae Duces vetusti cum Prophetarum choro,
Fida turma Apostolorum cum coronis Martyrum,
Caelibum candor virorum, Virginumq; lilia.
Porro lux serena cunctis, & noua orta alacritas,
Turbinem quae loeti abegit, & grauem anxitudinem,
Quid dabat nisi huius almae Virginis partum inclytũ?
Lux noua illa effusa in omneis partus auspicabilis
Exstitit Mariae, in orbem quo profudit paruolum,
Principem pacis perennis, vitae ouantisq; auspicem.
Hanc sacer Psalmista acuto personabat nablio,
Vanum, ait, vobis amici surgere ante candidae
Lucis ortum, noctem iniquam quae fugabit pectorum,
Adde quod Deus profatur per prophetam nobilem;
Te te ait lucem in coruscam gentium dedi omnium,
Vt salus fias meorum terrae in oras ultimas.
Hanc eamdem idem propheta tali honorat carmine.
Quae sedebat caeca in vmbris auream loetalibus
Turba uidit lucem obortam mortis in caligine.
Haec enim'st lux illa felix, quam paterna sanctitas
Vastum in orbem destinauit, vt nigrorem mentium
Liuidum longè fugaret tali adaugens omine.
Vade, ait, praeclara proles, esto mundi phosphoros,
Et maris sydus profundi; quippe lucem in gentium
Te dedi, ut uidere crassa nube praestes obsitis.
Christo enim nascente mundus coepit exsplendescere,
Exsuit turpis veterni luridam rubiginem.
Induit nouum nitorem terra sudans balsamum.

Quàm bene ergo priscus heros virginis pulcerrumae
Comparat partum nitentem splendido diluculo,
Atq; ab aeuo praeparatum dicit illum condito.
Tunc enim tunc squallor ater coepit exolescere,
Tunc nefasta nox abisse, & moeror ille luctifer,
Laeua quem parẽtis Heuae mens in orbem inuexerat.
Ceu solet quom mane surgens candido Palantias
Ore latè noctis umbras densiores discutit:
Et colos rebus reuertit, quem tenebrae ademerant.
Publicae festiuitatis sacra tympanistria
Iam ferens celsi Tonannis uentre germen floridum
Nomine omnium datorem uoce clara personat.
Sicut ante fecit huius Virginis cognominis,
Ediditq; omen puella, quae necatis hostibus,
Tympano capto sonanti, dexteram Dei extulit,
Quippe ubi infensam cohortem rubri in vndas aequoris
Vidit elisam, sonauit cum suis aequalibus,
Danti iò cantemus omnes numini victoriam.
Sic & haec beata cernens sospitanda saecula,
Sospitemq; adesse magnum, qui superbos deprimat,
Infimosq; exaltet, orsum tale plaudens inchoat.

Magnificat anima mea Dominum.

MENS Herũ mea auget amplis caelitũ praeconijs,
Spiritusq; exsultat ardens in deo, vita mea,
Et fauoris laetor alti compotita munere.
Nam suae respexit auctor paruitatem ancillulae,
Hinc ferent me omnes beatam nationes gentium,
Noctifer qua uesper ardet: quaue candet lucifer.
Quippe magnis liberalis extulit me honoribus,
Plurimum qui pollet unus, qui valet quidquid velit,
Et decus, nomenq. gestat omnium augustissumum.
Quin suae benignitatis omnibus uerentibus
Sese opes vltro patere volt, nec ulli claudier

Supplici genus per omne prima abusq; origine.
Exserens fortem lacertum contudit mortalium
Impiorum fastum, & acrem spiritum ferocium.
Exsuit thronis dynastas, extulitq; his infimos.
Quos malè opprimebat angens tristis esuritio,
Rex datis largis refersit adfatim congiarijs.
Copijs cassos remisit, atq; inaneis diuites.
Dextera porrecta ab alto subleuauit Israel
Vnicum suum popellum, ne suum pactum foret
Irritum, nostris spopondit vt pijs parentibus.



DE IVDITH VIDVA CASTISSIMA, & fortissima, quae fuit Mariae Reginae Virginum, hostisq; humani generis victricis figura.



EC quidem indignum putarit quispiam, aut incongruens,
Alteri si comparetur virginum flos vnicus
Foeminae viro pudenter, ac thoro vni deditae.
Haud enim nuptum pudorem uirginali confero,
Nec quidem decus repertum tale sub caeli ambitu
Vspiam innuptae puellae dico ab æuo condito.
Quis per oras albi apertas aetheris fulgentius
Sole ferri dicat astrum, quisue Lunae candido
Ore sudum peruagantis noctis vdo tempore?
Verùm eam fuisse dico Virginis praeludium,
Dum neci dedit tyrannum, qui suam pessum dare
Gentem auebat, atq; iniquae seruituti addicere.
Sed celebre nominemus nomen huius strenuae,
Et genus matronae, & acta, queis fuisse noscitur
Virginis figura magnae sospitae orbis perditi.
Haec erat pudica Iudith, nata claro stemmate,
Quae se ab hostis obsidentis impetu forti manu,
Patriamq; caram ademit cum propinquis omnibus.
Nam lepore ornata, & omni formae honestae munere,
Nec tamen confisa formae singularis gratia,
Nec lepore luculento, comptibusue insignibu;
Sed fide, & pio fauore praepotentis numinis
In cubile inducta Regis abscidit ferox caput
Illius, secumq; in vrbem cum triumpho detulit.
Nec caput secum recisum detulit tantummodo,
Sed simul palmam reuexit castitatis integrae
Nil probri perpessa turpis barbarae lubidinis.

Sicq;

Sicq; mucrone impudici principis compescuit
Ferreo incestum furorem, sicq; fudit copias,
Quae suam gentem parabant ferro, & igni exscindere.
Tum bene Antistesq; summus dixit illam, ac caeteri
Principes, pubesq; cuncta cum pudicis matribus
Inclytis tulere ad astra laudibus viraginem.
Clara uictrix, ense nudo quae Ducis feri Assyri
Abscidit ceruicem, & eius fudit omnem exercitum
Alteram quandoq; honesta mentibus sollertibus
Fortiorem longè Iudith indicabat adfore,
Atq; longè castiorem, quae nec ense ferreo,
Nec manu forti, sed alta sanctitate praedita,
Et Dei fide potenti, uiuidoq. robore
Caritatis, & spei almae publicum aduorsarium,
Et satellitum ferocum frangeret proteruiam.
Haec erat puella clara nascitura splendido
De satu Dauid prophetae, & Regis inclytissumi,
Atq; Iudae patriarchae de tribu primaria.
Hosticum fregit furorem quando uotum protulit
Virginalis puritatis, deinde quando credidit
Angelo fide tenaci pollicenti filium.
Tertio protriuit hostis impium feri caput,
Filius quando pependit in crucis trabe ardua,
Perferendo acris doloris spiculum uiriliter.
Spiculum, quo uolnerata'st Virgo in imo pectore,
Nec tamen crudele volnus quiuit illam sternere,
Quòd magis sentiret ictum caritatis feruidae.
Nam sciebat morte sola filij nostrum genus,
Posterosq; Adae uniuersos posse vitam consequi,
Tartariq. liberari turbulento è carcere.
Ac licet nullus fuisse proditur cum principe
Vir comes calcante durum torcular, fuit tamen
Mulier haec Hebraea secum filium Patri obferens.
Sic parens perculsa amoris acriori cuspide,
Ceu sacerdos facta ventris obtulit fructum sui,
Victimam piacularem, pro salute gentium.

Vnde & haec, ut ante Iudith, in Nabucodonosor
Maxumam confusionem, maxumumq; dedecus
Intulit domum superbam, quom crucem iuxta stetit.
Ergo prima fortitudo uirginalis castitas
Virginis fuit, secunda credulum pectus Deo,
At vigor uirilitatis tertium fuit decus.
Vnde & hanc bene esse dictam legimus trina uice.
Gabrielis uoce primum, deinde uoce Elizabeth,
Tertius longaeui ab ore prodijt senis fauor.
Sic eam trino decebat teste commendarier.
Namq; florem virginalem concelebrat angelus,
Foemina at foecunditatem, virq; robur pectoris.
Hoc caput non Holofernis pugione triplici
Abscidit Virgo superbum, sed draconis inferi
Contudit caput malignum, qui tenebat omnia.
Sicuti diuino ab ore mundi in ipso exordio
Dictum erat truci colubro, qui priorem improuidam
Foeminam persuasione versipelli infecerat.
Nobilis quidem Iabelis claruit victoria,
Quae dedit neci fugientem Sisaram, sed clarior
Fulget inuadentem Iudith, quae Holofernem sustulit.
Exstitit sed palma sanctae Virginis clarissuma,
Quae ferum hostem excussit alto principatus culmine,
Et subegit iam imperantem gentibus latè omnibus.
Caeteris quidem subegit inclytis uirtutibus,
Sed magis fide potenti, filium qua protulit,
Quaq; mox patri lubenter victimam sanctam obtulit.
Quin subegit hostem atrocem virginalis gloriae
Inclyta professione, nobiliq; turgido
Spiritus demissione fastui contraria.
Quare eam & nos iure festis, & profestis lucibus
Sospites pia fauoris consalutamus uice.
O aue inter una felix gratia aucta foeminas.
Sic enim saluere fortis iussit illam Archangelus,
Nuncium quando puellae detulit faustissumum,
Scilicet matrem futuram conditoris omnium.

Quin sagax prouerbiorum scriptor ante praeuidens
Talem eam fore incinebat spiritu prophetico.
Mulier (inquit) gratiosa consequetur gloriam.
Gratiosam dicit, omni quòd referta gratia
Praepotens, pollensq; abunde perduellem sterneret,
Et sibi decus pararet gloriae indelebilis.
Nunc ad alia transeamus Virginis praeconia
Concinenda, & mira facta digna Homeri carmine,
Et tuba Maronis alti, Pindariq; pectine.



DE TERRAE NOMINE DEIPARAE Virgini attributo Psal. 84. Benedixisti Domine terram tuam.





IL fere hocce in uniuerso constat orbis ambitu
Conditum manu Tonantis clarioris nominis,
Quin sui queat referre parte quadã Virginem.
Haud tamen quidquam uidetur summa in hac consistere,
Quòd magis praesentet eius indolem lectissumam,
Quàm ferax natura terrae, quàm soli huber fertile.
Terra fert herbas virenteis, fert fibras contagijs
Plurimis aptas medendis, sic salutis publicae'st
Virgo sancta seminarium, atq; virtutum parens.
Editos ex matris aluo nos benigna suscipit,
Sustinet, pascitq, terra; sic renatos caelitus
Excipit Maria, alitq; carne cari filij.
Iamq; natura abdicatos terra ab omni amplectitur,
Vel cadauer putre tandem, prorogatq; nomina;
Sic suos numquam clienteis Virgo mitis deserit,
Illa magnas portat urbis, crebra portat oppida,
Arborum plantas, & amnis, sic Maria Principem,
Gestat orbem qui creauit, & pugillo continet.
Terra vasto tota circumfusa pendet aere,
Nec solo subsidit vlli, sic Mariae mens sacra
Numquã adhaesit prona terrae, terreisue adfectibus.
Addidere prisca nomen saecla Telluri Deùm
Perperam magnae parentis: Virgini nam competit,
Quae Dei sit filiorum facta mater omnium.
Stulta item Curetum ouantum gens Opi dictae chorum
Dedicauit, qui uirili parte adempta inconditis

D Hanc

Hanc sequentes mente capti cantitarent versibus.
Ast Heram nostram insequuntur ordines caelestium,
Sed seorsum principali semper haeret Virgini
Turba caelebs, quae magistram ritè laudant propriam.
Nam magistra haec vna dicta'st, atque primiceria.
Virginum clarae coronae, prima quòd vouit suum
Lilium pudoris almo Principi immortalium.
Laeta dat florum nitores terra verno tempore,
Datque fruges, sic Maria fert suum florem inclytum,
Fertque fructum, quo senecta recreantur saecula.
Dat metalla argenti, & auri, calculosque gemmeos
Terra; sic Maria felix pignus edit vnicum,
Quo latet thesaurus omnis, vena & omnis gratiae.
Quòd virens tellus perenni firmitate nititur,
Nec vacillat, siue nutat; dat Mariam firmiter
In sua virtute semper perstitisse immobilem
Terra alit quodcumque viuit, quodque spirat vspiam,
Alma tellus virginalis vniuersos educat
Fructu ab ipsa procreato, filios magni Dei.
Quom globus terrae rotundus exstet, atque floridus,
Indicat perfectionem summam inesse Virgini
Inclytae, summum decorem, maxumam elegantiam.
Istius terrae beatae cultor almus exstitit
Spiritus Dei, calore qui velut Sol viuido
Fecit ipsam pullulare, ceu noualem fertilem.
Hac nouus formatus Adam prodijt terra huberi,
Veritas sublimis orta, fructus ortus nobilis,
Optumumque hac fluxit aurum, fonsq; manans iugiter.
Haec fuit promissa priscis sub figura patribus
Terra, dulci lacte abundans, & liquenti nectare,
Quae tulit vitae beatae perpetem dulcedinem.
Hac idem de terra & illud dicier quis abnuat.
Ex humo Deus medelam procreauit optumam.
Nempe carne virginali corpus almi filij.
Hanc chorus prudens futuri saeculi propheticus

In suis paßim sacratis codicillis inserit,
Cum suoque fru[c]tu honestat luculentis laudibus.
Inter hos Pater sacrarum cantionum inclaruit,
Dum canit tellure natam veritatem roscida,
Atque humum nostram tulisse floridum fru[c]tum suum.
Hancque summum auxisse Regem luculenta copia
Omnium pangit bonorum, ferreas qui rescidit
Compedes plebi misellae seruitutis asperae.
Quin Dei dicit benigna visitatam gratia,
Et fluentis inrigatam munerum caelestium,
Omniumque abundè aceruis conlocupletatam opum,
Concinitque idem dicatam Regi eamdem caelitum,
Copiamque illius esse, constitisse immobilem,
Scilicet fide tenaci, labis immunem putris.
Cernit hanc fundatam in omne tempus aeui perpetis,
Et Deum parasse in ipsa rite san[c]tuarium
Proprium more vnicornis, qui cubile construit.
Psallit idem sempiternum principem caelestium
In medio nostrae salutis terrae opimae maxumum
Esse opus molitum, in aluo nempe sanctae Virginis.
Hanc suis quoque inserebat saepe terram oraculis
Haud futuri ignarus aeui natus Amos nobilis,
Taleque inter carmen edit caetera memorabile.
Vos, ait, rorate celsi caeli abunde desuper,
Vosque nubes rorulentae pluite iustum principem,
Iamque humi sinus patescat, germinetque Sospitem.
Mox diebus, inquit, illis germen illud patrium
Omnibus longè eminebit, summo honore habebitur,
Atque fructus terrae opimae surget altum in aethera.
Hanc eam puto esse terram, quam vetustus legifer
Propriae genti reductae finibus Niloticis
Taliter depingit hortans, vt datam capesserent.
Te nouum Deus colonum ducet in terram optumam
Fontibus scatentem amoenis, amnibusque lympidis,
Terram opimam frugis omnis, atque vini fertilem.

Hic ubi ficus grauescit foetu, & arbor punica,
Atq; oliuae pinguis humor, melleusq; exhuberat,
Omniumq; rerum abunde perfrueris copia.
Ficus hic demonstrat almae Virginis dulcedinem,
Porro uinum virginalis fert amorem pectoris,
Verùm oliuae fructus huber illius clementiam,
Sicq; rite interpretari quiueris, quae diximus,
Dictaq; alia, quae leguntur in sacris passim libris
Huberi hac de terra, & eius fruge, nempe filio.
Hic enim est frumentum opimum, (sicut ipse praedicat,)
Huius in telluris aruo consitum manu Dei,
Qui suo stirpem fidelem pascit almo corpore.
Haec profecto est illa tellus, siue ager, quo delitet
Nobilis thesaurus ille, quo reperto gestiens
Mox repertor uendit omnem censum, & illũ praestinat
Quòd si humi delectat huius nosse magnitudinem,
Non quidem amplam mole uasta, sed capacem gratiae.
Quid uetustus Scriba pangat diligenter percipe.
Magnus, infit, exstat orbis terrae, & excelsus polus,
Igneiq; Solis acer cursus, & pernix nimis,
Qui die una cuncta lustrat; maior ergo his conditor.
Corpus ob foecunditatem Scriba terram nuncupat,
Porro mentem ob eminentem Virginis caelum indolem,
Quòd perinde ac illud astris, haec micet virtutibus.
Tale se caelum supremus dixit orbis artifex,
Talem humum replere totam glorioso numine.
Caelum, ait, serenũ, & omnẽ terram ego vnus compleo.
Hanc humum quo pacto habere nos queamus edocet
Nos propheta, quae beatos possidenteis efficit,
Diuitesq; opum sacrarum, compotesq; gloriae.
Quisquis, inquit, mitis, atque comis haeres effici
Huberis terrae ualebit, longè ab hac excluditur,
Gens superba, & arroganti quae tumescit spiritu.
Haec humus, quam quisq; nostrum gressibus perambulat,
Nosq; pascit, mortuorum terra & est, & dicitur,

At beata Virgo terra dicitur uiuentium.
Quin & haec deserta terra dicitur, terra inuia,
Terra, vbi natus supremo Patre Rex adparuit,
Patris ut uirtutem apertè, gloriamq; ostenderet.
Sed quid est more unicornis quòd canit uates Deum
Sanctuarium locasse fixa humo per saecula?
Hunc ferum negant sodalem poße quemquam perpeti
Proprium cubile inire, contubernalem ferunt
Nullum habere uelle, seorsum sed cubare perpetim.
Quod Patris fecisse constat vnicum gnatum Dei.
Nam sibi soli sacellum uirginale floridum
Condidit, commune habere non tulit cum caeteris,
Sicuti decebat illum singularem Principem.
Quin solet barrum ferire cornu acuto, & sternere
Monocerotis uis ferocis, sic nefandum Daemona
Virginis fixit propago corporali spiculo.
Ceu lacus cornu salubri uirulentos temperat,
Ne queant ulli nocere; sic saluber filius
Tinctus ipse expurgat undas, vt saluti sint suis.
Hunc ferunt capi solere solo amore uirginis,
Illius sinu cubantem; sic Deus purissumae
Virginis lepore captus tradidit sese hostibus,
Sed solo terrae relicto, quo suum cubiculum,
Fixit acer vnicornis, caeli ad altitudinem
Virginalis praedicandam transeamus ocyus.

DE CAELI NOMINE DEI GENITRICI attributo. Psal. 102. Dominus in caelo parauit sedem suam.





EC putes solum esse caelum, quod solet vertigine
Vertier circum perenni, caelum & ipsa dicitur,
Caelitum quae fudit aluo Virgo Regem caelibe.
Vnde ait pulsator ille nobilis psalterij,
Qui sua de gente norat tantum oriri filium
Sub figura Solis, ille gestiet velut gigas
Arduam viam vorare egressus arce ex aetheris,
Tum suum pulcrum sedile condet in caelo Deus,
Atque regnum extendet orbis terrae in oras vltimas.
Id quoque adtestatur ipse, tale qui caelum incolit,
Caelum, ait, praeclara sedes est meae altae gloriae,
At meis scabellum amoena terra plantis subsidet.
Quam Deus terram suum inquit esse suppedaneum,
Ipsa erat corpus Mariae florulentum Virginis,
Quod opifex caeli subiuit, vt suum inde adsumeret.
Tale item carmen propheta, & nobilis psaltes canit
Hoc super sacro scabili. Quisque adorabit locum,
Quo Dei pedes stetere fronte supplex cernua.
Quin quoque ipsa tota tellus sancta Virgo dicitur,
Arduumque tota caelum, spiritus videlicet
Ipsius sanctæ parentis, atque corpus candidum.
Huius exemplar fideli Patriarchae maxumo,
Cuius ipsa è stirpe Virgo floritura mox erat,
Obtulit Deus videndum, quando dixit erige
Lumina, & caelum intuere, nempe celsam Virginem;
Intuere caelum, & eius supputato, si potes,

Astra, id est virtutum acervum, dapsilesque gratias.
Tale caelum doctè & alter pangit auctor nobilis.
Forma, ait, caeli sereni constat astrorum globis,
Syderumque claritate, scilicet praenobilis
Virginis decor refulget plurimis virtutibus,
Quae velut caelata in eius signa fulgent pectore,
Atque conlustrant profundam saeculi caliginem.
Nam licet terras teneret, subque Sole degeret,
Nil tamen terrenum amabat, nil sitibat fluxile,
Sed Deo placere tota ardebat vni dedita.
Hocce erat caelum illud ardens, atque tellus fertilis,
Quae propheta cantat esse dedicata numini.
O Deus tuum esse caelum dico, humumque floridam.
Vnico pater parauit tale anaclinterium.
Terram, ait, semel ciebo, pictum, & astris aethera,
Moxque aget desyderatus se ille cunctis gentibus.
Haec duo illas esse opinor ianuas, quas belliger
Barbito dulci celebrat Rex retexens, quae pius
Fecerat Deus benignè nationi incredulae.
Aetheris reclusit alti ianuas, inquit, Deus,
Et pluit caeleste nectar, quo potis vesci adfatim
Gens per aequor vecta rubrum pane caeli praebito.
Quippe erat sublimis aether sancta cunctis sanctior,
Ianuae fuere apertae pectus, & venter simul,
Pectus excepit fidele verba, venter filium.
Nam Pater caelestis illum de supernis sedibus
Dulce manna misit orbi, ferculumque caelitum,
Vt profusus ventre casto vita sit mortalium.
Ergo sanctae humanitati virginale praebuit
Corpus, at diuinitati mens cubile regium,
Mens nouis rigata semper gratiae fulgoribus;
Vnde ait, cui lucta nomen indidit vates sacer,
In sua Sol mansione, Lunaque vna constitit,
Scilicet Deusque, homoque sacrosancta in Virgine.
Hoc itèm de caelo & illud, deque terra ait Deus.

Caelum

Caelum ego impleo serenum, & fertilem terram simul.
Scilicet animam Mariae, & corpus integerrumū.
Hic caelum prius recenset quâm solum terrae Deus,
Quòd prius puella sancta mente concepit Deum
Per fidem, sanctūq; amorē, uentre quâm corpus Dei.
Sed polo claram sereno conferamus Virginem,
Atq; eam verum esse caelum comprobemus indidem,
Hisceq; hymnum uirginalem proferamus symbolis.
Perpetim natura caeli permeat contra citos
Syderum cursus uagorum, sic Mariae intentio
Semper est aduorsa sectis, atque prauis dogmatis.
Ac licet caeli rotetur semper ingens impetus,
Haud tamen fatiscit umquam, sic Mariae alacritas
Torpuit numquam, tenorem sed suum usq; retinuit.
Quippe & ipsa more caeli numquam ijt retrograda
Diua, sed prorsum meauit ardua uia adpetens
Omnium uirtutum ad arcem peruenire gnauiter.
Orbis est caeli rotundus angulis prorsus carens,
Sic Maria aeternitatem concupisse noscitur,
Simplicesq; amasse menteis, respuisse duplices.
Caelum item immensum probatur esse, Diuae at caritas,
Atq; maiestas patescit axe caeli immensior,
Nemo vti se abscondat eius à calore uiuido.
Caelum vti semper quietum'st, inq; perturbabile;
Sic nec ulla virginalem turba pacem polluit,
Quae fuit uera arca Noe per quietem pectoris,
Caelitus descendit imber, atq; ros, terrae aridae
Qui riget solum, Mariae scrinijs è ditibus
Huber ad nos gratiarum manat adfluentia.
Inde aquaeductus uetustis dictitata à patribus,
Dicta collum, quòd per ipsam mysticum in corpus meat
Multiformis fons bonorum, multiplexq; copia.
Mansio caelum angelorum, sic Maria mansio
Omnium uirtutum earum, quas habent ipsi angeli,
Quas Apostolus recenset Gallograecis scriptitans.

Ceu procul se sede ab ima celsus adtollit polus
Rebus ab nostris remotus, Virgo sic his vilibus
Sancta curis expedita prominebat in Deum.
Lympidum caelum suapte luce semper fulgurat,
Nube vt inuolui putetur, noctéve obscura obtegi,
Sic serena Virgo semper, atque clara incanduit.
Nam licet pareret extra fusca volgo ignobili,
Quòd putarent imminutam, nilque habere insignius
Caeteris, carere pulcra virginali zonula,
Attamen cunctis puellis vna erat formosior.
Pondus alui nil ademit de pudoris flosculo
Virgini, magis sed illum pulcriorem reddidit.
Quin videri obscura quibat, tela quòd gentilium
Scinderent linguarum, & acres integram calumniae,
Atque digna indigna multa perferebat immerens.
Quòd parens illius esset, quoi volebant pessumè,
Sanguinem cuius sitibant, agni vt immanes lupi,
Talium perpessiones denigrabant Virginem.
Et proinde aiebat almae filiae Hierusalem
Censeor quidem esse nigra, decolorque adpareo,
Re tamen formosa vera, sumque tota amabilis.
Ne nigrorem istunc putetis esse natiuum mihi.
Nam ferus me Solis acris decolorauit vapos,
Quique me vexant maligni filij matris meae.
Hisce diuexandam acerbis persecutionibus
Praemonebat sub figura mystici viror rubi
Conflagrasse visi, & ignis non perusti incendio.
Namque vis haud vlla quiuit Virginem percellere,
Impetus nec vllus ardens recto abegit tramite.
Verum omissis hisce rebus, prosequamur caetera.
Celsitas caeli procellas, & fragosa fulmina,
Turbinesque excedit atros, sic modestae virginis
Nulla mentem incessit ira, nulla perturbatio.
Id rotam Solis corusci portat, orbis lampada,
Gestat alma Virgo Solem mentium praefulgidum,

Quem iubar vates vocarunt aequitatis aureae.
Ac velut caelum capessit orbis amplam machinam;
Sic sinu Maria casto cepit illum, quem nequit
Continere vastus orbis, nec quidem caeli ambitus.
Gyrum ego immensum patentis caeli, ait, circumdedi
Sola, Christum nempe caelum continentem, & omnia
Ventre obiui Virgo nulli copulata coniugi.
Ipsa portat caritatis porro lumen splendidae,
Lumen almum caritatis, nostra quo praecordia
Luminat, facitque dulci flamma amoris feruere.
Ceu polum docti creare cuncta luminaribus
Astricis terrae in recessus vim suam imprimentibus
Autumãt, frugesque, & herbas, & metalla, et caetera.
Sic opes, cultusque varios spiritales Virginis
Aestumant virtute mystae pullulare ecclesiae,
Queis foret priuata, tali si careret praeside.
Nec queam tacere amici quid Patris summi typum
Exprimens inuictus Heros filij cognominis
Gesserit, quonamve caelum hoc pinxerit nobis stylo.
Ille forte dimicabat cum suis cohortibus
Signifer terroris expers contra atroces principes,
Qui Dei gentem putabant posse sanctam exscindere.
At verens ne clara desit lux diei praelio,
Imperat Soli citato, medio caelo vt sisteret,
Donicum profligat omneis perduelleis funditus.
Tum viri dicto citus Sol imperantis paruit,
Constititque caeli in orbe fixus, atque immobilis,
Sic tulit clarum trophaeum dissipatis hostibus.
Dux, vti dixi ante, victor forma erat magni Dei,
Is gerebat bellum acerbum cum proteruis Regibus,
Quando Mors regnabat atra, noxa dira, & Daemones.
Tum volens Pater benignus turbam amaram sternere,
Quae suam gentem obsidebat, opprimebatque acriter,
Atque dira peste cunctos liberare perditos,
Praecipit se Soli oborto, fixus vt stet aethere,

In puella nempe ſancta, quae ſuis virtutibus
Dicier meretur aether, atque caelum lucidum.
Sicque factum vt imperatum'ſt, caeſa turba eſt impia,
Quippe Rex armatus illic noſter armis bellicis,
Nempe ſancta humanitate, fregit infeſtam manum.
Ergo virgo ſancta noſtrum, maximum armauit Ducem,
Quom dedit geſtamen aptum ſacroſancti corporis, (lis.
Vnde & hanc Moſae indicabat virga Hebraei Praeſu-
Nam velut virgae efficacis ille fretus munere
Peruicacium magorum diruit molimina,
Terruit Regem ſuperbum, terruit ſatellites,
Atque poſt diros fragores fulminum, poſt grandinem,
Poſt tenebricos nigrores, poſt cruoris flumina,
Fluctibus merſit phalangas impias tumentibus:
Hiſque merſis ſub profundis fluctibus rubri aequoris,
Sordidis victor cohortes liberas ergaſtulis
In Palaeſtinae feracis arua laeta tranſtulit.
Sicque noſter Imperator virginali tegmine,
Ceu flagranti ſcuto amictus, Daemonum tyrannida,
Atque Mortis fregit atrae, vimque peccati improbã.
Ac ſuos iugo ſolutos ſeruitutis horridae,
Flebilis vitae vadatis turbulentis caſibus,
In beata regna laetos incolas tandem intulit.
Ac velut turmis proteruis tum freto rubro obrutis,
Principis ſoror Maria cum puellarum choro
Dexteram Dei potentem praecinebat vindicis.
Sic quoque intruſis Auerno turbidis tumultibus
Hoſtium, trophaea clara Patris, atque Filij
Virgo ſancta dulciori perſonauit tympano.
Quale carmen ipſa promit ore Diua candido,
Propriae virtutis altum ſpecimen edidit Deus,
Nam truces forti cateruas diſſipauit brachio.
Exſuit regno potenteis, ac ſuperbis ſedibus,
Infimoſque his conlocauit corde miteis ſupplici,
Et bonis cunctis repleuit diuites exhauriens.

Caeterum ne istuc refellas, friuolumve existimes,
Scilicet virgae efficaci comparari Virginem,
Ipsius sponsi fidelem conde vocem in pectore.
Forti equae meae in quadrigas, copiasque Aegyptias
Obrutas cum peruicaci Rege in vndas aequoris,
Te parem te dixi Amica, sponsa nostraque vnica.
Hic equam vocauit illam virgulam, qua strenuus
Tot patrauit mira Moses, quòd foret vis illius,
Haud secus quàm militaris vis equus fortis viri'st.
Virga porrò illa innuebat laureatae Virginis
Indolem, percussit acreis qua Deus duces Moab,
Sicuti vetustus Augur ante multo dixerat.
Hinc David virgam, inquit, alti roboris Pater tui
De Syon mittet decora. tu meum vero genus
Impera hostibus proteruis, obtere aduorsarios.
Quippe quos gnatus valenti sternit altus brachio,
Hos & ipsa virga caedit, deijcitque fortiter,
Ac sibi subdit rebelleis dia mater Satrapas.
Nec nouum debet videri, nec Deo contrarium,
Virgula quòd virginali tot patrarit ardua,
Totque mira per tenellam, flexilemque plantulam.
Nam solet per imbecilla magna moliri Deus,
Quo magis suumque robur pandat, & prudentiam,
Et leui se posse cuncta factitare momine.
Ergo Virgo sancta nostro subministrauit Duci
Arma, quis aduorsa victor subiugaret agmina,
Ac sibi regnum pararet dissipatis hostibus.
Quare & hanc matrem beatam pollicebatur fore
Lucidae nubis columna, qua Deus gentem suam
Tesqua per deserta vexit diuitem in prouinciam.
Nam simul soluit misellos anxijs ergastulis,
Haud statim dedit potiri sedibus feliciibus,
Sed quaterdenos per annos vallium per confraga,
Montiumque inhospitaleis duxit hos crepidines,
Ceu capras arguta pastor personante fistula,

Vt fidem exploraret omnis, an se amaret, agminis.
Et quia immortale numen non erat mortalium
Pupulis fas contueri nudum, & absque vmbraculo,
Candida se nube texit, seque monstrabat suis.
Hac eadem nube saeptus alloquebatur virum,
Quem suae genti magistrum, principemque dixerat,
Et sacrae mandata legis digerebat indidem.
Quin & hoc candenti amictu Praetor almus copijs
Ipse praeibat, & laborem leniebat asperum,
Hostiumque proterebat insolentum audaciam.
Nubis haec columna, prisca quom forent nostri typi,
Indolem dabat Mariae, quae Duci nostro inclyto
Addidit velamen apti corporis spectabile.
Haec enim Virgo superno sola patri idonea,
Sola digna visa gnatum quoi suum committeret
Vnicum, nostri induendum corporis velamine.
Id fore indicarat ante per suum vatem Pater.
Solem, ait, velabo nube luculenta flammeum,
Scilicet diuinitatem humanitatis nubilo.
Tale quid psaltes sonanti concinebat barbito.
Ille summus Imperator, atque Rector caelitum,
Qui solet caliginoso considere in abdito,
Qualis arboris viator lassulus sub tegmine
Arido recumbit aestu, quom canis torret sata,
Omnium potens sub vmbra florida morabitur.
Hoc latens caelestis Heros inuolucro nobili,
Condito pacto nouelli foederis, suos greges
Saeculi cura expeditos ducit in caeli domum.
Namque iter caeleste nobis Imperator vnicus
Corporali nube cinctus munijt pessumdatis
Hostibus, qui nos solebant impedisse immaniter.
Ipse erat, quem nube amictum vidit olim Apostolus
De suprema parte caeli deuolantem Nuncium,
Et loco serti gerentem vertice irin daedalam.
Huius adspectus micabat Solis instar fulgidi,

Et pedes habebat ambos, ceu columnam flammeam,
Et ferebat paruum apertum dextera librum manu.
Hic item Diuam parentem sub figura candidae
Vidit idem nubis, atque splendidam prolem simul
Hanc super nubem sedentem, sicut ipse praedicat.
Tunc ego spectabam, & ecce clara nubes panditur,
Et super nubem sedebat os virile praeferens,
Fronte habens auri coronam, tum manu falcem aeneā.
Sed caue putes tenebris, quòd cluet nubes, nigris
Virginem obsitam, vel esse debilem, atque euanidam,
Sicuti nubes, inanem quae volant per aera.
Nam Dei sufferta tota luce dia fulgurat,
Sicut & praeclara nubes, forma quae praecesserat
Istius, flagrabat igne tota caeli flammeo.
Quae quidem & speciem columnae praeferebat, vt scias
Virginem factam esse mundi columen, atque ecclesiae,
Quam suo fauore fulcit, & rogatu sedulo.
Quisquis ergo mentis atris nubilis crassescere,
Siue se nutare sentit, ad columnam protinus
Currat hanc, si stare firmus volt, & exsplendescere.
Si cupit squallenti ab orbe peruenire ad caelitum
Regna tutus, spectet istanc vsque claram Virginem,
Sicut & nubis columnam prisca pubes Israel.
Haud enim de plebe sancta duxerim illum existere,
Qui Ducem non hanc sequatur, sicuti nec de Israel
Gente, qui ductum columnae negligebat insequi.



DE SOLIS NOMINE SANCTAE VIRgini attributo. Psal. 18. In Sole posuit tabernaculum suum.





IL viget, ceu dixi, in orbe, nilque in oris aetheris,
Quod quidem sit magnum, & amplum, sitque pulcrum, ac splendidum,
Vnde nō denominari Virgo possit regia.
Quare & hanc insigne Solis ferre nomen credimus,
Quòd micet quoque ipsa facta luminare fulgidum
Solis instar, immo claro Sole luculentius.
Cordium noctem repellit, & rigorem pectorum
Saepe mollit duriorum, caeram vt ardor igneus,
Interim ipsa algoris expers, & nigrae caliginis.
Quin facit quoque are fluxum putidae lubidinis,
Atque vbi tantum solebat luma crescere hispida,
Lilium candescit illic, purpurat vaccinium.
Sol quidem nitet coruscus semper, & flagrat simul,
Sed magis Sol virginalis puritate lympida
Fulgurat, magisque feruet caritatis lampade.
Ignifer Sol inter errat sex vagas semper faces,
Treis supra se, treisque se infra; se supra Virgo Deum
Trinum habet solum, sed infra quidquid exstat caelitū.
Cuncta captant signa lumen luce de Solis suum;
Sic chori celsi renident de nitore virginis,
Quam Deus volt esse fontem candicantis luminis.
Nam velut Solis recenti mane concepta face,
Enitent lapsae per herbam roris vdae guttulae;
Sic Herae fulgore crescit caelitum sacrum iubar.
Solis vt se emergit alto candor ardens aequore,
Sydera obruit corusca, sic Mariae gloria
Praenitet caeli coronis omnibus conspectior.

Sol

Sol vti nil diminutus proprio de corpore
Igneum iubar remittit, sic Mariae integritas
Vnicum nil laesa fudit ventre puro filium.
Syderum Sol nuncupatur Rex, Maria dicitur
Virginum potens, nitore ceu suo Sol cernitur,
Sic decus matris relucet in sua prole inclyta.
Quippe quanto maior exstat gnatus, & pollentior,
Tanto & eius sancta habetur mater excellentior,
Nosciturque anteire cunctis ampliori gloria.
Sponsa quando electa dicta'st nuptiali in cantico
Solis instar, dictat ipsam quinque priuilegijs
Sol quibus pollet, decenter virginem insignirier.
Sol nitet fulgore miro, sed magis Virgo aurea
Enitet miraculorum luce fulgentissuma,
Et nitebit vsque in aeui metam vbique gentium.
Quamdiu Maria in istoc saeculo cum corpore
Exstitit, Sol virginalis delitebat nubilo,
Nunc remota nube, claret fulguranti lumine.
Quom Dei quoddam sit instar Sol, & idem luminet
Vniuersum solus orbem splendido vibramine,
Quomque nil sine ipso oriri possit vsquam viuidum.
Hac item de Virgine alma quisque debet credere,
Scilicet referre magnum conditorem expressius,
Perque gnatum ferre lucem, ferre vitam gratiae.
Octies tellure tota corpus esse dictitant
Grandius Solis, Maria sic quoque octo dotibus
Praestitit cunctis beatis, qui fuerunt, quique erunt.
Vna erat quod virginale prima vouit lilium,
Deinde quod nullius esse censuit semet preti,
Tum quòd incorrupta foetum Virgo concepit suum,
Mox sua suscepto in aluo quòd ministrauit Deo.
Adde quòd doloris expers filium suum edidit,
Quodque partus singularis matris huius exstitit.
Adde ad haec, quòd suscitata fulget almo in corpore,
Cumque gnato regnet olli conlocata proxuma.
Ordi-

Ordines transgressa cunctos, & choros caelestium.
Pagina in sacra exaratur Virginis sacrum decus,
Sub figura Solis huius, mane oriri qui solet,
Et suo ortu lustrat orbis vniuersam machinam.
Nam suo beata in ortu comparatur ortui
Virgo Solis luculento propter innocentiam,
Atque summae puritatis eminentem gloriam.
Quin ibidem dictitatur vasculum admirabile
Fulgurans nouo nitore continentiam ob suam,
Pignorisque singularis, nectarisque caelitum,
Filij summi parentis, ventre quem circumdedit,
Quem sinu nec vasta tellus, nec patens caelum capit.
Addiditque hunc esse Solem (nempe sanctam Virginē)
Architecti opus supremi scriptor ille nobilis,
Quòd sit ipsa tanto honore condita, & praestantia,
Nil vt exstet in creatis rebus olli aequabile.
Nam velut solare corpus vniuersis praenitet
Rebus ollis, quas videmus, sic nitenti Virgini
Nullum opus par inuenitur conditum manu Dei.
Sic enim scriptum reliquit in sacro ille codice,
Sol in adspectu corusco, nuncians in exitu
Vas honoris esse miri, grande opus magni Dei.
Arguunt quae verba summo mox fuisse Virginem
Praeditam nitore ab ortu, qui cluet modo exitus,
Sacrum ad vsum deputatam, & conditam manu Dei.
Quippe primum exortus ardens syderis probat decus,
Innuit vasis secundum nomen admirabilis,
Tertium fert Solis huius pulcritudo, & dignitas.
Vase in hoc sponsus decorus iunctus est sponsae suae,
Hic suum fauum comedit, cum liquore melleo,
Et suo cum lacte vinum candido hausit optumum.
Namque lac inebriauit dulce sponsum amabilem
Virginali ab hubere haustum, & temperauit pristinam
Illius seueritatem, qua solebat plectere.
Sicuti delectat ardens intuentum lumina

F Sol

Sol ſuo ſplendore dulci, ſic Maria caelites
Proprio lepore paſcit, atque laetos efficit.
Nulla quom ſit corporalis Sole res conſpectior
Nec ſit vlla vtilior vſquam, nulla ſit praeclarior,
Quippe eo lucente hebeſcunt cuncta luminaria.
Hoc item de Matre magna quiſque debet credere,
Si genus mortale ſpectet, ordineſque caelitum,
Qui Mariae comparati lumen abdunt proprium.
Tolle Solem mundi ocellum, protinus cuncta occupat
Horridum chaos vetuſtum, ſic fidelis, lampade
Caſſa ſi foret Mariae, concio ſqualeſceret.
Tale quid ſcriptum inuenitur in ſacris oraculis.
Ceu iubar ſolare obortum mundi amoenat climata,
Sic decus matronae honeſtae propriam exornat domũ,
Vis nequit Solis coruſci fructibus marcentibus
Reddere amiſſum vigorem, ſancta ſed Virgo poteſt
Gratiam ſarcire gnato dante lapſam in mentibus.
Hic nigris concedit vdae noctis vmbris occidens,
Vtpote inluſtrare totam qui nequit terram ſimul,
Sed chaos condenſum opacat ſemper oram maxumam.
Virgo & ipſum vincit Orcum, regna teſſit orcia,
Dum penetrat ardifoeta caeca corda lampade,
Et diem reducit almum lurida in praecordia.
Saepe Soli denſa nubes, lunave oppoſta obficit,
Et iubar confundit eius, ſed nitorem Virginis
Nulla labes laeſit vmquam, nulla perturbatio.
Sed quid indicat globoſo Solis orbis circulo?
Virginem expetiſſe clamat ſemper immenſum Deum,
Lucidum ſpectaſſe caelum, & res carentcis termino.
Hoc nitenti in Sole, venit quom tenebras pellere,
Et nigrae mortis ſatores, condidiſſe creditur
Caelitumque conlocaſſe Dux ſuum tentorium,
Vnde poſt exiuit ipſe ſplendidus Rex gloriae,
Ceu ſolet nouus maritus florido è cubiculo,
Ad fugandum principatus orbis huius impios.

DE

DE LVNAE NOMINE SANCTAE VIRgini attributo. Cant. 6. Quae est ista quae progreditur pulcra, vt luna, &c.





VOM sacro de Sole dictum sit satis, iam candida
Ponè Solē consequatur luna, quae cluet soror
Ipsius Solis, geritq; Matris almae imaginem.
Haec enim'st quae nocte lucet luna noctem illuminans,
Quaeque nigrae noctis vmbras ore laeto discutit,
Vt viator nocte possit rectà iter pertendere.
Nostram Heram caeli cohortes quom viderent inclytam
Culmen in caeleste summo cum decore adscendere
Clamitabant cum stupore sciscitantes inuicem.
Quae nam ea'st, quam conspicamur caeli in arcem tendere,
Sponsa, tamquā aurora surgens mane, pulcra vt cādida
Luna, tamquam Sol coruscus, omnium electissuma?
Ergo lunae comparari constat almam Virginem
Non sine ratione dotes propter eius nobiles,
Queis videtur conuenire cum Dei Matre inclyta.
Luna lucem mutuatur de globo Solis suam,
Sic Parens captat nitorem, propriamque gloriam
De sui splendore nati, deque prolis numine.
Nam velut pignus beatum de suae substantia
Sancta Matris membra sumpsit, sic Deū dum concipit,
Illius diuinitatis fit quoque ipsa particeps.
Hocce amatus ille Mystes innuit mysterium,
Hic vbi alto conspicatur Angelum descendere
Aethere, atque inluminari terram ab eius gloria.
Angelum labentem ab arce caeli in orbis infima,
Consili magni fuisse nuncium CHRISTVM *accipe,*

Porrò terram illuminatam tu Mariam intellige.
Docto & illud ore vates prompsit hac de Virgine.
Illius thronus manebit Solis instar perpetim,
Ac velut perfecta luna, testis in caelo Deus.
Dicitur perfecta luna propter excellentiam.
Caeteris enim beatis adtributa'st portio,
Virgini se infudit omnis plenitudo gratiae.
Luna quom cuncta vna vincat astra pulcritudine,
Caeterosque obfuscet ignis aetheris serenior,
Et feratur virga Iesse pulcra, vt ipsa Cynthia,
Clamitat naturae vtrique Virginem antecedere,
Angelis dico coruscis, atque morti obnoxijs,
Gratiaeque immensitate, & sanctitatis fulgure.
Nam licet sudum per omne caeterae reluceant,
Et micent stellae nitentes, luna magnitudine,
Et nitore excedit omnis, sicut ipsa caelites,
Luna praefert nocte eunti caespites per scrupeos,
Asperasque per salebras, lumen & claram facem,
Deuius ne longè aberret, inque praeceps corruat,
Sic docet vitare Virgo confragosa criminum,
Quod ruinam fert saluti cumque nostrae, & obficit,
Et viam commonstrat illam, quam quoque ipsa triuerit.
Clara Phoebe quom nigrantis noctis vmbras liuidas
Temperet candore laeto, dictat almam Virginem
Cordibus tenebricosis ferre lumen gratiae.
Quando Sol, qui Christus audit, in tenebras versus est
Per suam necem cruentam, luna tunc quoque haec pia
Per dolorem cordis acrem tota versa in sanguinem'st.
In noua luna propheta buccinare nos iubet,
In die sollemnitatis, nam suo ortu gaudium
Inchoauit Virgo nostrum, quae salutem protulit.
Dicitur Regina caeli luna, quòd nocte obsita
Nigricantibus tenebris, caetera inter sydera
Occidente principatur Sole tali tempore.
Sic Dei benigna mater quando Christus cuipiam

Abdi-

Abditur culpa obstruente, tum suam clementiam
Criminoso pandit illi splendido cum lumine.
Monstrat id situs micantis lunae, humo propinquius
Caeteris quae fulget astris adsita orbi terreo,
Et sua terras iacentis luminat praesentia.
Quippe adest parata semper subuenire sontibus,
Destitutis Sole vero (nempe dulci filio)
Promptius cunctis benigna fert opem caelestibus.
Proprium lumen receptat luna de fonte huberi
Solis, & reflectit ad nos, sic receptam gratiam
A Deo retorquet ad nos, Patre summo luminum.
In globo lunae triformis cernitur velut puer,
Cyaneusve oriri ephebus quando plena visitur,
Sic adulta quindecennis Virgo Christum protulit.
Imperat tumultuoso luna ponto menstrua,
Et vagas exercet vndas, sic Maria inertia
Excitat saecla Imperatrix, nec sinit torpescere.
Dicitur quoque esse mater luna roris algidi,
Aridosque reficere agros, quos ferus torret calor,
Tale item munus Maria sancta habere creditur,
Nam facit crebro virere rursus, atque vuescere
Gratia menteis vigenti, dira quas terrestrium
Vsserat cupido anhela rerum, & ardor aestuans.
Dicitur creata luna, vt praesideret luridae
Nocti, & vmbras temperaret, sic Maria'st edita
Vt ferat tenebricosis lumen, atque sontibus.
Luna semper Solis orbem spectat, & suum iubar
Haurit inde luminosum, sic Mariae intentio
Ad Deum adspirauit ardens, totaque inde exsplenduit.
Luna quòd nocti decorem, fertque pulcritudinem,
Noctis esse ἄγαλμα fertur; sic Maria saeculum
Excolit caliginosum, & obsitum ignorantia.
Quin adhuc mortali in hocce constituta corpore,
Atque vitae obscuritate plena fulsit lumine
Gratiae perfecta luna dicta priscis patribus.

Nocti-

Noctiluca aduelat ignem Solis obtentu suo,
   Ipsiusque obscurat orbem, sic Maria lucidam
   Operuit diuinitatem corporali tegmine.
Sydcrum choris coruscis fulua Phoebe cingitur,
   Ac velut Regina obitur, sic supremi Principis
   Regiae Matri obsequuntur agmina immortalium
Perpeti gaudere luna noscitur silentio,
   Et sacra quiete pasci, sic puella haec inclyta
   Exstitit tranquilla semper, inque perturbabilis.
Quom ferant quoque esse lunam qualitatis frigidae
   Defluique humoris, vnum dat pudorem Virginis,
   Alterum demissionem fastui contrariam.
Falsum erat, quòd aestimarit posse lunam carmine
   Deripi caelo vetustas, esse sed verum probat
   Quisque votis posse, vt assit, deuocari Virginem.
Luna si crescat, medullae opimiores ossium,
   Atque fiunt pleniores, nostra sic deuotio
   Auctior fit luculentae virginis consortio.
Quare eam rogare quisque debet, vt pectus suum
   Repleat vigore sancto, quo vigescat iugiter,
   Indiesque augescat ille feruor, atque adfectio.



DE NOMINE AVRORAE SANCTAE Virgini attributo. Cant. 6. Quae eſt iſta quae progreditur quaſi Aurora conſurgens, &c.





HAEC item eſt Aurora dicta virgo ab illa
ſcilicet,
Supparo quae mane Solem luteo compta inuehit,
Et modum ponit nigranti nocti, & vmbras terminat.
Nam ſimul coorta Ditis trudit antra in liuida
Purpuranti laeta vultu, quae tenebant omnia,
Horridae noctis tenebras, & diem laetum inchoat.
Sic Maria exorta noctis triplicis caliginem
Terminauit, dico legis inuolutae ambagibus,
Inchoans pacti nouelli lumen auſpicabile.
Editoque veritatis luculentae Antiſtite,
Alteras diſcuſſit vmbras noctis inlaetabilis,
Mentibuſque caecitatem diſpulit mortalium.
Tertiae demum ipſa abegit noctis infauſtum chaos,
Nempe culpae noxialis ſqualidam fuliginem,
Quae genus noſtrum occuparat Protoplaſti crimine.
Nam licet parens creatus lucido in meridie
Primus eſſet conditoris exprimens imaginem;
Attamen peccando clarum lumen illud perdidit.
Quando delenitus anguis ſponſione callidi
Reſcidit ſacrata iura, ſpirituque transfugae
Haeſit, abiecitque voltus dignitatem priſtini.
Nec modo infauſto miſellus deſtinauit funeri
Semet, ac malis tenebris, verum & omneis poſteros
Obruit funeſta clades illa, & inuiſum chaos.
Nec ferè eſt poſthac repertus quiſpiam, qui lurida
Diſſipata lumen almum cerneret caligine,

Sed

Sed lues, crescente mundo, dira concreuit simul.
Donec obtentu nefasto conglobata obscuritas
Haec magis, magisque gliscens in dies vastum aera
Atque terrae obsedit oras, turbulentaque aequora.
Haec inauspicata erat nox, noxque detestabilis,
Qua genus nostrum refractis proterebant bestiae
Omnibus passim vagantes obuium repagulis.
Nec modum fecisset vnquam pestis ingrauescere,
Obsito Matuta mundo ni noua illucesceret,
Ac diem nouum referret tetra monstra territans.
Qualiter bubonum heoi pulcer ardor syderis
Moenium minis ab altis mane primo exterminat
Spiculis vibrans coruscis, omen auersabile.
Nam Deum produxit orbi, qui tenebras orcias
Discutit, menteis serenat, damnat atros Daemonas,
Liberatque emancipator venditos sub crimine.
Hoc quoque aurorae albicantis munus esse nouimus,
Pellat vt sub antra nigra visa nocturnas aueis,
Territetque obscoena monstra, quae tenebris gestiunt.
Sic Maria abominandas orta pellit haereses,
Impiasque factiones, atque commenta arguit,
Lusciososque vrget hosteis veritatis se abdere.
Quippe amat caecis latebris omnis oblitescere
Improbus, lustrisque gaudet, fumidisque ganeis,
Qui malo errore implicatur, lumen odit candidum.
Haud secus quàm infesta cunis paruolorum infantium
Strix nefasta, tristeve omen noctuarum informium,
Quaeque solo inuisa stridet bubo sidens culmine.
Nam suis difflauit auris mortuorum numina
Aureis, delubra tractu culta longi temporis
Diruit, ritus reuellit, ac profanas naenias.
Virgine aduentante clara, coepit euanescere
Quae dubijs ludebat ante furua gens ambagibus,
Perdidit Dodona sorteis, atque Pytho delphica.
Pessum abijt sistrata iunix, atque latrator canis,

Et suum fanum reliquit pulsus Ammon corniger
Nec Themis resedit vltra incesta in oris Phocidos.
Obsoleuit Branchidarum vanitas Apollinis,
Proprioque excessit antro tetricus Trophonius,
Ardalus Troezene fugit, & locris Proserpina.
Fugit & Latona Bruto ciuitate Aegyptia,
Territus sede emigrauit Pergamena Asclepius,
Et suum Ismenon profanus liquit augur Teneros.
Quin magos exterminauit, Persicosque aruspices,
Orphei portenta dira, Zoroastrique orcia
Sacra, quis excire manis, atque sensus vertere.
Hanc fugam cernebat ille praepetem, qui dixerat,
Sub figura furis atri, callidique adulteri,
Et viri caede impiati. Per tenebras noctium
Suffodiunt lares domorum, mentium videlicet
Subruunt nostrarum opima templa atroces Daemones,
Diripiunt, vexant, profanant nocte in ignorantiae.
Sed rubens aurora mane si repente illuxerit,
Hanc putantes mortis vmbram delitescunt protinus,
Expauent inquam Mariae fulgidam praesentiam.
Qui genus mortale sectas dissecare in plurimas,
Et duces sese esse vitae iactitare sueuerant,
Hos simul confudit almo veritatis lumine
Edito praeclara ademptis Virgo sectatoribus,
Edito Sole aequitatis, quem prophetae praedicant:
Vnde centum aureis coronis promeretur cingier.
Hocce erat vetustus augur quod profatur inquiens
Emicabit virga quaedam praepotens ex Israel,
Quae duces Moab refringet, diruetque funditus.
Quidquid olim concioni recta sentientium
Inferebat labem abegit pessumorum dogmatum,
Sustulit commenta falsa cum suis auctoribus.
Dic vbi tua improbe Ari factio execrabilis?
Et tua Eutyches profane perduellis Virginis?
Quo Manes, Nestorve abiuit, Marcion cum caeteris?

In dies porrò ipsa sectas pullulantis arguit
Impias, damnatque magnis editis miraculis,
Ad sacrosque oueis reuerti deuias monet greges.
Nam nihil praepollet olli, nil habet ve antiquius,
Nil prius, quàm sospitare perditos quamplurimos,
Et malis periclitantes è periclis tollere.
Vt nequit mortalis, Eos media ni sese ingerat,
Ad diem adspirare clarum, sic homo nequam nequit
Ad Deum venire gnatum, ni parens interbitet.
Vt iubar solet colores, nigra quos ademerat,
Nox suos rebus referre, sic Mariae munere,
Quae prius fuere manca sunt redacta in integrum.
Protulit quippe ipsa Regem sanctitatis principem,
Principem perfectionis, atque virtutum caput,
Qui Dei in nobis refecit decolorem imaginem.
Ac velut Matuta Sole nil hebescit edito,
Sed magis candescit aucta, sic Maria filium
Splendidum connixa creuit puritatis lumine.
Nil enim pulcri pudoris foetus ille amabilis
Abstulit de flore sacro, sed nitorem contulit
Virgini decentiorem, & auctiorem gratiam.
Hanc prius cernens caterua quàm sata esset caelitum,
Quaeritabant cum stupore; quae nam ea est, quã lumine
In modum aurorae videmus pleniore progredi?
Nam videtur illa nocte caerula exoririer,
Atque sensim augere lucem, sic Maria obnoxijs
Patribus prognata creuit sanctitatis gloria.
Vt parens aurora roris, quo refecta germina
Arefacta Sole alescunt; sic Maria filium
Edidit, vernare sanctis qui facit nos moribus.
Flosculi per prata amoena se relaxant adfatim,
Et comas surgente laeto proferunt diluculo,
Nocte qui tota obserati delitebant moesliter.
Edita sic Virgine alma cum corusco lumine,
Qui prius pij latebant conditi sub nubilo

Publicè

Publici erroris patere quisque coepit illicò.
Disiicit Matuta somnum dormientum è pupulis,
Et sua excubare cunctos luce suadet aurea,
Indicans abisse noctem, non decere stertere.
Sic Maria clara oborta, torpor excessit vetus
Pectorum, coepere multi pulcra obire munia,
Et sibi vitae manentis comparare commoda.
Hacce sunt aurora abacta mentium crepuscula,
Caecitas vetusta cessit, cessit ignorantia,
Sicque vere aurescit huius cunctus orbis munere.
Hanc lues tetra opperita'st, qua miselli gignimur,
Sed nequijt contingere ipsam, ceu πολύτλας dixerat
Antea Heros, quem petiuit dirus hostis frangere.
Nox, ait, tristis manebit candidum aurorae iubar,
Quae plagas lustrabit orbis orta claro in lumine,
Nec videre illam valebit nox inauspicabilis.
Hoc Patre alloquente natum nomen almum inclaruit,
Munera, inquit, liberalis omnibus fundes tuis
In tui die triumphi, subiugatis hostibus.
De nitore sanctitatis dona fundes largiter:
Nam tuae florescet almus ros adulescentiae
Ventre ab aurorae nitentis, roscidoque corpore.
Quid mage aurorae per aluum quit rubentis accipi,
Quidve per roris liquorem, quàm Mariae clausula,
Atque conceptus pudicae Virginis mirabilis?
Haec enim nobis beatum protulit Solis iubar,
Qui sedenteis in nigrore mortis inuisens ferae
Dispulit tenebricosis mentibus caliginem.
Hanc celebrat ille Princeps, creta huius sanguine'st.
O Pater, tuus dies est, noxque mater syderum,
Candidam auroram creasti, Solis orbemque igneum.
Sed mihi pandas propheta nox quid, & dies sict.
Nox quidem est parens diei, nempe Christi Principis.
Is dies, lucem perennem qui tulit mortalibus.
Dicta nox non quòd nigrescat sordibus parentium,

Sed quòd è tellure nata'st, sicut & cunctum genus,
Et suis dulcem quietem conferat clientibus.
Quòd fuit tranquilla semper, atque solitaria,
Ac velut viuens fefellit mente Virgo humillima:
Cuncta quae noctis soporae conficit silentium.
Dicta rursum nox, corusca quòd beatorum agmina
Fecit in caelo exoriri, pignore edito vnico,
Haud secus quàm nox serena clara promit sydera.
Sic nouum lumen retexit, sic nouum virgo diem,
Et noua astra visa nondum, nempe Christum Principē,
Et sacros greges piorum, qui latebant antea.
Id quod ipsa confitetur praestitisse propalam.
Feci, ait, nouum emicare lumen alto in aethere,
Lumen indefectum, inardent quo polo stellae igneae.
Hinc tegi stellante peplo sponsa sacra inducitur,
Et caput cingi beatum ter quaterno sydere,
Sicut & distincta fulget nox globis micantibus.
Dicta nox tandem quòd ipsi, ceu vapos Solis feri,
Candidum colorem ademit dura persecutio,
Dura probra obiecta gnato, dura diuexatio.
Vnde ait, nolite quòd sim, filiae Hierusalem,
Fusca, me consyderare, quippe Solis feruidi
Decolorem fecit aestus, candidam natam prius.
Hac sacra de nocte pastor doctus ille psallere
Neruias ciens acutas tale carmen edidit.
Nox tibi in modum diei plena fulget lumine.
Huic viro mundi architectus, quom foret carus sibi,
Noctis huius, & diei dulce nomen protulit
Adserens eius nepotes post eum duces fore.
Si pote, infit, foedus istuc irritum abrogarier,
Quod tuli nocti, ac diei, ne suo exstent tempore,
Sic pote & pactum rescindi, quod tuli Dauid meo.
Iam redire auroram ad ipsam fortis hortatur Iacob.
Is valenter nocte tota cum Deo luctatus est,
Quem videns durum esse vinci mane facto sic ait.

Fortis Heros iam relaxa me, vt queam discedere.
Iam rosans aurora surgit, igneumque subuehit
Orta Solem, iam sinas me, quaeso, caelum adscendere.
Ille ad haec non te remittam, ni mihi dixis bene,
Antequam elapsus recedas prome fausta mi omina,
Tum petas caelum licebit, & chorum caelestium.
Ille ad haec Iacob vocari desines in posterum,
Iam tuum nomen cluebit Israel, quòd nec Deo
Cesseris quidem, magis quàm praeualebis caeteris?
Quilibet luctamur vncti cum Deo, quom nitimur
Obtinere quid rogando oratione sedula,
Atque iugi nocte in atra cladium prementium.
Sed videns auroram obortam, dico claram Virginem,
(Quippe ea'st lux illa de qua per prophetam dicitur.
Clara lux est orta iusto, & corde rectis gaudium.)
Is remittit nos ad ipsam flagitatum gratiam,
Ceu suas vices honoris saepe causa, & regia
Deferens matri relegat Rex obire munia,
Nec tamen debemus vmquam deprecando absistere,
Ni quoque ipsum suadeamus ferre nobis inclytum
Israel nomen, queamus quo Deum ipsum cernere.
Id decus virtute partum delicat victoriae:
Nam Deus celebre nomen dat suis victoribus,
Quod duces sibi arrogare quique fortes assolent.



DE LVCIS NOMINE SANCTAE VIRgini attributo. Psal. 96. Lux orta est iusto & rectis corde laetitia.





ORRO quis clarae vocamen conuenire Virgini
Lucis almae denegassit, quae nihil caliginis
Sensit vmquam creta in aluo matris, aluove edita?
Haec enim est lux illa sancta, quam propheta musicus
Concinebat voce tali, lux iò pulcerrima
Orta Iusto, & laeta rectis corde nata alacritas.
In suo ortu comparatur Virgo felix fulgidae
Luci ob eius dignitatis eminentem gloriam,
Quando nil Deo similius luce pura creditur.
Quippe quae lux exstet illa, quam creator optumus
De satu nostro creauit, vt tenebras mentium,
Missa eidem nata ab ipso luce, tetras pelleret.
Hac enim nascente mundus coepit elucescere,
Exsuit turpis veterni pallidam rubiginem,
Induit nouum nitorem terra sudans balsamum.
Te precor vero ò Maria lux mea, vt fonte huberi
De tuo in meum refundas cor nitorem amabilem,
Quo tibi queam nitenti lucidum hymnum pangere.
Te fore innuebat illa, quam Deus produxerat
Auream lucem prius quàm texta mundi poneret,
Vnde Sol concreuit ardens luminum fons omnium.
Debuit creationi fausta recreatio
Rite respondisse priscae, & ire per vestigia
Illius, velut sacrorum ratio poscit mystica.
Quid Deus molitor orbis dixit in primordio?
Fiat, inquit, lux serena, liuidam ferruginem

Quae

Quae repellat, ac nitorem fundat in vastum chaos.
Hoc item verbum imperauit restitutor optumus,
Quando fecit exoriri fulgidam puellulam,
Quae sua exornaret orbem luculenta lampade.
Ceu bonus quondam architectus, quom struit pulcrā domū,
Prouidet de luce aprica, triste ne tectum fiet,
Sic Deus lucem parauit virginalem Ecclesiae.
Nec sine instinctu putandum est, atque nutu prouido
Spiritus sancti Mariam nuncupatam nomine,
Quae iubar sonat marinum, siue sydus aequoris.
Ac velut solare corpus luce de primaria
Creditur fulsisse cretum, sic nitenti è Virgine
Inclutum Solem aequitatis Christum obortū credimus.
Quippe Sol de luce natus filium dabat Dei,
De puella nasciturum, quae sua pulcra indole
Candidae lucis referret puritatem lympidam.
Additurque ibidem, vt illam viderit lucem Deus
Conditor bonam emicasse, quod quoque ipsi Virgini
Congruit dictum benignae, & vniuersis vtili.
Vtilis fuit ruinis innouandis caelitum,
Qui per ipsam sarciuntur, vtilis mortalibus
Peste iniqua liberandis, atque acerbo funere.
Fert opem quoque ipsa iustis, fert misellis sontibus,
Dum quidem hos conuertit, atque copulat gnato suo,
At probos virtute adauget, ditat amplis gratijs.
Praesto adest secunda nautis aura fluctuantibus, (munt,
Hosq; agit portū ad salutis, quos malae aerumnae pre-
Iis refert gratum leuamen, omnibusque commoda'st.
Porro quod diuisa ab vmbris ipsa fertur luridis,
Indicat secretam ab atris mox fuisse saeculi
Labibus, deuota summo quando deducta'st Deo.
Nam suam gnatam parentes obtulere trimulam,
Impigram Deo ministram, sicuti spoponderant,
Gratius manu parato numini sacrarium.
Hic tenebrae saeculares iure dicuntur viri,

Rebus

Rebus addicti caducis, atque fluxis saeculi,
His Deus lucem diremit, nempe diam Virginem,
Tum ferunt pupam tenellam quindecim templi gradus
Mysticos scandisse nixam nemini mortalium,
Quod dabat debere cunctos ordines supergredi.
Nam nouem classes feruntur esse diuum in aethere,
Angelos graio vocare quos suemus nomine,
Porro sex ex orbe sumptae, quas super Diua eminet.
Sicque verum euenit illud, quod paroemiographus
Dixerat. Multae sibi ante congregarunt ditias
Filiae, tu vero longè transilisti caeteras.
Ergo diuino puella mancipata cultui
Bina lustra mansitauit sub penetrali sacro,
Nubilem matura taedis donec aetatem attigit.
Sic Deo probante adulta Virgo sponso traditur
De tribu prognato eadem, scilicet quem virgula
Prodidit repente amicta fronde, & albis flosculis.
Sed scopum ad nostrum feramur, dirigamus spicula
Mente miti prompta ad almam virginalem lampada,
Atque lucem conferamus corporalem mysticae.
Lux serenat densa quaeque, pellit vmbras liuidas,
Sic Mariae luce fulua cessit ignorantia,
Cessit error orbe toto, pulcra luxit veritas.
Lux sua natura amica se omnibus communicat,
Adfatim se blanda praebet; sic Mariae comitas
Se exhibet bonis, malisque subuenire gestiens.
Cuncta moerent luce cassa, cuncta squallent turpiter,
At renident luce tincta, sic nihil laetabile,
Nilque amoenum virginali destitutum gratia.
Adsolent secura corda freta lucis munere
Effici pauore pulso, sic clientes candidae
Virginis fauore Diuae tuti vbique mansitant.
Lux facit stirpem ad creandam, & nutriendam corporũ,
Atque ad augendam creatam; sic propagat in dies
Spiritalem Virgo, alitque prolem, & auget lucida.

Sub

Sub serena luce apertae machinae insidentium,
Et doli patent maligni. Diua pandit manium
Consilia tenebrionum, pandit astus improbos.
Quare eam inuisam latrones expauescunt inferi,
Quòd suas fraudes reuelans efficit saepe irritas,
Nec sinit circumueniri turbam amicam, ac decipi.
Lux honorem rebus ollis, ac leporis gratiam,
Quas super se fundit, addit, sicque fulgor Virginis,
Quae vigent in orbe honestat, quaeq; summo in aethere.
Deme mundo lucem amoenam, quid nisi obscurum chaos
Restat, & confusa moles? tolle claram virginem
Pulcritudo moeret omnis, occidit cunctus lepos.
Quis tenere porro prima corpora inter caetera
Nescit almae lucis auram? sic Maria nobilis
Ante nostrae genti honore cellit, & caelestium.
Lux licet contingat vsquam spurca rerum corpora,
Nil trahit contagis atrae, sic Mariae sanctitas
De profani faece volgi nil recepit sordidum.
Nam velut per noctis vmbras luna lucet, nec tamen
Noctis vmbris inquinatur, sic nec hilum saeculi
Hanc tenebrae polluere virginalem lampada.
Lux habet vitae calorem semper admixtum sibi,
Quo fouet contacta cuncta, sic amorem candidum
Virgo habet, quo mater omneis ceu suam prolē educat.
Omnia lucem concupiscunt contueri, ac perfrui,
Quae valent visu sagaci, perspicaces caelitum
Sic auent tui phalanges Virginis sacrum iubar.
Qui viam per noctis vmbras pergit, offensus ruet,
Luce tutus ibit idem. Qui sine alma Virgine
Vitam agit, nutat, vacillat, vix potest consistere.
Lux vehit vires deorsum corporum caelestium,
Et mouet subterna cuncta, sic Maria principem
Detulit Christum superne, & excitauit saecula.
Lux habet splendorem amoenum secum vbique candida,
Deque se progignit illum, Virgo promit filium

 Vnicum,

Vnicum, secumque gestat, quo refulget vndique.
Multiplex probatur esse lux sui diffusilis,
Quippe se propagat ample, sed nec istoc nomine
Virginem sua replentem vincit orbem gratia.
Iam sine vlla laesione lenis immensum aera
Lux supra, ac metitur infra; sic Mariae leniter
Fax polum permanat omnem, nostra lustrat saecula.
Vt nihil concretionis, nilque crassi nubili
Lux habet solaris in se, pura sic tota emicat
Virginis succensa lampas flore de puro Dei.
Lucis est peculiare tenuiora corpora
Reddere, ac subtiliora, nec Maria pondere
Desinit mentis grauatas eleuare terreo.
Cernimus nubes aprica protinus sublimius
Luce in auras subuolare, sicque amore Virginis
Tacta humo se corda tollunt templa caeli in lucida.
Quid quòd & lux fulua nouit cogere ad se dissita,
Atque in vnum congregare, dissident eis allicit
Virgo ita ad se nationes, atque in vnum copulat.
Cerne quàm diuersa eodem multitudo confluat
Visere augustum sacellum colle Loreti situm,
Quo suum concepit almum, & educauit filium,
Nam velut lucem intueri gestit omne sensile,
Hac calere, inluminari, sic bonae mentes petunt
Virginalem lucem, vt eius consequantur munera.
Lux facit virere verno tempore, & florescere
Arbores, frugemque ferre, sic Mariae gratia
Plurimos facit vigere viuidis virtutibus.
Talibus quom Virgo sancta dotibus sit praedita,
Quit sua cum prole fari, lux ego orbis luridi,
In tenebris qui volet me vir sequi, non ambulat.
Proinde consectemur illam, & obsecremus iugiter,
Vt suo splendore nostra (ceu cluet nomen suum)
Pectora inlustret tenebris inuoluta tristibus.

DE STELLAE MARIS NOMINE SANctae Virgini attributo. Num. 24. Orietur stella ex Iacob.





HAEC licet Regina Solis, atque lunae candidae
Nomine appelletur eius propter eminentiam,
Haud ob id tamen recusat stella nuncuparier.
Non recusat stella dici, quòd sit indelebile
Illius praesigne nomen, stellae ad instar cardine
Quae poli subnixa summo stat perenni tempore.
Haec enim est primaria illa stirpe nata ex Israel
Stella, quae praeluxit ante caeteras ecclesiae
Mystico in caelo, emicauit vnde Christus omnium
Luminum sator nitore cretus huius syderis.
Haud enim concepit illum sordida è libidine
Diua, sed diuini amoris irrigata flammula.
Quippe in hanc descendit omnis fons amoris Spiritus,
Qui supremo è Patre manat, vnicoque filio,
Integramque fecit aluum Virginis tumescere.
Hunc adhuc desyderaret perditus caligine
Mundus infelix, nisi esset hancce nactus Virginem,
Quae suo decore summum traxit ad sese Deum.
Quin trahit terrae colonos huius ad caelestia,
Segne discutit veternum, discutit torpedinem
Frigidae infidelitatis, arguitque inscitiam.
Tanta vis est virginalis stellae, vt vsque ad infera
Regni vibret fulgur almum, temperetque liuidas
Noctis vmbras turbae amicae sede in inlaetabili.
Sub sinus, inquit, profundos, terrae & alta in viscera
Intro, & illic dormienteis, qui suam fidem in Deo,

Atque firmam ſpem locarunt vniuerſos viſito.
Et licet ſtella omnis exſtet quaedam imago Virginis,
Attamen maris vocari ſtella gaudet amplius,
Cui ſuum debere nomen plurimi docti adſerunt.
Haec ea'ſt, quae ſemper haeret Arctico polo aſſita
Stella inerrans, ſemper ipſum circinat vicinius
Caeteris, ſpectandaque ardet ſemper immerſabilis.
Quae quidem ſi cuncta ſanctae Virgini adplicaueris,
Comperibis fluctuoſi iure ponti dicier
Stellam, & olli tale nomen addecere maxume.
Quando nil excogitari quit Deo coniunctius,
Cardini rerum ſupremo, verticique altiſſumo,
Quàm Patris dilecta ſponſa, & alma mater vnici.
Ipſi adhaeret ſemper, ipſo pendet, ipſi iungitur
Copula perfecti amoris, ſtella vt axem amplectitur,
Continetque auguſta facta Regis aula caelitum.
Sic quoque orbis tota in ipſa vaſta moles vortitur,
Adiuuatque rerum habenas temperare filium,
In gradu locata ſummo, dicta Princeps omnium.
(Haud enim primo, aut ſecundo, ſed nec ipſa tertio
Alma ſacro principatu continetur inſita,
Sed refulget ſempiternae Trinitati proxuma.
Ceu ſitu praecellit omnes aſtricos ignes maris
Stella lati celſiore, ſic Maria culmine
Tollitur ſupra vna coetus altiore caelitum.)
Id Pater curans ab orbis dixit vſque exordio:
Haud decet virum eſſe ſolum deſtitutum compare,
Huic iuuamen demus aptum, quo labores perferat.
Quo magis prope iſta ſummo cardini ſtella adſidet,
Certius commonſtrat illum, ſic Deo propinquius
Quom nihil ſit matre, cumdem pandit exploratius.
Huc docet contendere aciem mentis, & ſubducere
Nos ab hocce turbulento, quo perimus gurgite,
Et bonum adfectare ſummum, propriumque expoſcere.
Quod videtur ſtella ponti vix loco mouerier,

Addo-

Addocet numquam vagatam lubrica vortigine
Pectoris, fide tenaci sed stetisse immobilem.
Porro quòd stet ista mundi stella parte à dextera,
Virginem numquam excidisse gratia clamat Dei,
Et modo adsidere gnati dextrae honore regio.
Nunc quoque illud disseramus, quid sibi adpellatio
Haec velit stellae marinae, quidve praestet muneris,
Publicive vsus, benignaeq; adplicemus Virgini.
Sic cluet nauis magistri, quodque gnari nauitae,
Quom cita tumultuosa puppe tranant aequoris,
Hanc solent seruare caeli promicantem in limite,
Atque ita infidum per aequor rectum iter pertendere:
Idque agunt magis, volucrem si ratem conlidere
Asperis turbo minatur fluctuosus cautibus.
Quippe vbi periclitari sese in vndis sentiunt,
Atque pessum abire spectant ad facem huius stellulae,
Sicque saxa caeca vitant, dira vitant funera.
Tum malus si turbat error noctis vmbris obsitos,
Nec vident quo rostra vertant, quove cursum dirigãt,
Eripit fraudem viarum, deuiosque corrigit.
Haec agit stella ergo nautas dux per aequor turbidum,
Et vagos portum reducit noctis in caligine,
Tum labantum per procellas corda fulcit languida.
Denique ereptos profunda seruat è voragine,
Sicque opus nos destitutos Sanctam in hanc intendere,
Publicae portum salutis tutum, & aram gratiae.
Quippe qui iactamur vndis turgidae insolentiae,
Deuijque erramus inter nubila ignorantiae,
Otioque desidemus, ac veterno perditi.
Atque adeo vagae perimus mentis inconstantia.
Quare ad hoc sydus serenum, perfugium diuinitus
Vnicum cunctis paratum (dico claram Virginem)
Vndique adspiremus omnes, ni velimus criminum
Obrui fluctu nefasto, vel dari praeda hostibus.
Quippe si spectemus illam dira cuncta euadimus.

Nec

Nec secus qui transit huius hanc notet vitae mare,
Ac solent Phoenices vrsam, quam minorem dictitant,
Atque Achaeus nundinator Parrasin Callistoa.
Quisquis hanc seruat sagaci perspicax prudentia,
Neutiquam diram Carybdin incidit superbiae,
Nec voluptatis profana mergitur voragine,
Hunc nec excaecant tenebrae luridae ignorantiae,
Nec furens procacis aestus raptat iracundiae,
Aut gulae absorbet voracis Scylla vasto gurgite,
Sed triumphalem refertam mercibus caelestibus,
Transito mari malorum, & inferis praedonibus
victor elusis, locabit sospitem in tuto ratem.
Ergo Virgo nacta nomen est marini syderis,
Incolas quòd orbis huius turbulenti sospitet,
Candidaque luce noctem lustret atri saeculi.
Quod quidem non desit vmquam sacrum opus perfungier,
Sed magis tunc egit istuc, quom iubar de proprio
Corpore illud fudit almum, quo renident omnia.
Quin & hoc insigne nomen ad piae clementiam
virginis potest referri, qua solet solarier
Qui mari iactantur alto, nempe amaris cladibus.
Nam solet turbam misellam tristis aegrimoniae
Obrutam vndis recreare, subleuare lugubres,
Quos piget peccasse lapsos, ingemuntque amariter.
Testis est mortalis ille, transfugam qui addixerat
Se tyranno furui Auerni proprio chirographo,
Improbae cedens homullus impotens cupidini.
Is negarat quidquid omnes factum in ipsa credimus,
Moxque pertaesum nefandi perpetrati criminis
virgo ademit impetrata pace ab orci faucibus.
Quosque habet malè adfluentis nauseae molestia,
(Taedium loquor laborum, & actionum fortium)
Excitat discusso inerti languidos fastidio.
Quin potest marina ritè stella nuncuparier,
Quod statum vitae innocentis lapsa numquam perdidit,

Numquam ab alto ſanctitatis corruit faſtigio.
Nam velut ſtella illa inhaeret vſque caeli in cardine,
Neſcit occaſus ruinam, ſic nec vmquam gratiae
Lapſa ab arce Diua ceſſit tincta fluctu criminum.
Huius inſtar Iani habebat patris immerſabilis
Arca, quam nequiuit aequor vanitatum mergere,
Sed ſupernatauit vndis omnium cupidinum.
Quippe virtutum quadrigae, & ſingulares gratiae,
Ne profani poſſet aeſtu turbulento ſaeculi
Obrui, ſublimem ad aſtra ſubuehebant Virginem.
Sed caue, ſis, parua volgo, caeteriſque exilior,
Quòd videtur eſſe in axe nautica ſtella inſitis,
Arguas id paruitatem denotare Virginis.
Quando id eſt ſignum quòd omneis dignitate tranſilit,
Si Deus paruos repenſat ampliori gratia
Spiritu, graduque honeſtat celſiore in aethere.
Ac licet magni videtur ſtella ponti paruola,
Attamen virtute tanta pollet, vt ſibi adtrahat
Ferreique vim rigoris, gemmae & indomabilis.
Sic puſilla Virgo ferro duriora pectora,
Atque ſaxis efficaci ſurdiora gratia
Adlicit, ducitque, ferrum ceu lapis Magneticus.
Porro quòd ſepteno obitur ſtella dicta ſydere,
Inclytam caeli coronam totam adeſſe Virgini
Indicat, ſeptemque ſeorſum maxumos Archangelos.
Quin queunt fulua aſtra ſeptem circum eam cingentia
Gratias ſignare ſancti ſeptiformis Spiritus,
Quis velut Regina ſerto ſacroſancta comitur.
Haec queunt ſeptena gaudia indicare identidem,
Quae ſua de prole in iſtac nacta luce proditur,
Quaeque nunc in regno olympi glorioſa percipit.
Et quia ipſa ſaecularium, nautici inſtar ſyderis,
Neutiquam cor tinxit aeſtu turbido rerum ſuum,
Sed bona aeterna adpetebat fluxa mundi reſpuens.
Huic data'ſt ſuprema ſedes in Dei vrbe lucida,
Quae


Quae sita in septemtrionis fertur esse partibus,
Et choris saepta vna fulget caelitum conspectior.
Ac velut stella illa numquam conditur sub aequoris
Fluctibus, Virgo perenni sic renidet tempore
Omnibus facem salubrem praeferens mortalibus.
Hincque vasti spectat orbis nationes subditas,
Patriamque immunem ab omni monstrat illam turbine,
Adiuuatque fluctuanteis vitae in huius aequore.
Sin placet quoque adde dictis, scilicet volatilis
Quòd Aquilo descendit istac parte natus ardua,
Indeque ingruens in orbem furua difflat nubila,
Alta ponti stagna flabris concutit sonantibus,
Saepe humo turreis celebreis aequat, ac tecta edita,
Ilices frangit tremente is, dura sternit robora.
Sic quoque istac virginali maxumus septemtrio
Prodijt sublimi ab arce, nempe Christus inclutus,
Qui sua vi dissipauit horridum errorum chaos.
Saeclaque acri torpida idem classico praeconij
Excitauit, spiritusque fastuosos perculit,
Veritati contumaces, ac tyrannos perfidos.
Ferre fertur sanitatem corporalem Aparctias,
Qui suo flatu fruuntur, Christus aegris mentibus
Dat valere, pellit idem corporum contagia.
Quis queat referre cuncta noster Aquilo, quae gerit
In modum flatus Borei? quippe & ipse congelat
Candidas niueis docendo puritatem pectorum.
Laxam humum restringit idem marcidorum corporum,
Dum voluptatum coercet improbam lasciuiam,
Atque luxum temperantis lege continentiae.
Grandinem porro ipse denset, ac trisulca fulmina
Fabricat, torquetque in orbem, dum minatur trudere
Carcerem in tetrum rebelleis, in tenebrasque extimas.
Quin Syris cluere venti nomen huius abditum,
Atque opertũ constat, vsque quaque & hocce congruit,
Quem Deũ occultũ prophetae, dictitantque absconditũ.

Nam

Nam latet sinu in paterno, & sanctae in aluo Virginis,
In sacris vatum figuris, in vetustis patribus,
In necis perpessione, & inuolucro corporis.
Hunc prius sponsa euocauit de sua alta regia
In suum sinum sub horti florulenti nomine,
Vt latentem exciret eius nobilem fragrantiam.
Nec modo ipsum adciuit ad se sponsa votis feruidis,
Et frequenti oratione, verum & eius comparem,
Humidi sub nomine Austri, nempe sanctum Spiritum.
Illa sponsa erat Maria, quam videbat Salomon
Antequam progigneretur spiritu prophetico
Florituram singulari sanctitate praeditam.
Surge, ait, liquentis aethrae pennipes sator Aquilo,
Tuque ades mi praepes Auster cum tuo vdo flamine,
Per meum flate hortum, & eius profluent aromata.
Atque mox dilectus, inquit, noster horti in proprij
Commigret saeptum, suorum carpat vt feracibus
Ramulis pomorum opimum suaue fructum olentium.
Hic queunt suaues odores inclutae fragrantia
Virginis signare morum sanctiorum semina,
Nec minus duplex aroma Virginalis pignoris.
Quando enim vis sancti in ipsam lapsa caelo est Spiritus,
Et sibi Virtus paterna fecit ipsi vmbraculum,
Prodijt tum flos gemellus ille, odorque amabilis.
Hocce mortis exoleuit putor exsecrabilis,
Nam nouam vitae perennis spem suis cultoribus
Adtulit, lucisque saeclis pandit vsum interminae.



DE STELLAE MATVTINAE NOMINE sanctae Virgini attributo. Apocly. 2. Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo ei stellam Matutinam.





VNC age alterum canamus sydus illustrissumum
Post maris stellam coruscam, quippe & huius nomina
Adplicant mystae Mariae, & qualitates Virgini.
Id quidem est astrum illud ingens syderum pulcerrimum,
Quod solet Matutae heoo tempore anteuertere,
Luciferque à deferenda luce in orbem dicitur.
Et Venus laeto ore ridens, & Diana phosphoros.
Phosphoros quidem Diana, Luciferque dicitur,
Tethyos quom mane glaucis fluctibus canae enatat,
Ac nouum face antecedit Solis ortum praeuia.
Verùm vbi crineis in amnem floreos Atlanticum
Abluit Solem secuta, Vesperugo dicitur.
Nam licet Regina non sit antelucanum iubar,
Mane quod se tollit vndis Amphitrites caerulae,
Ac solet rotam ante Solis ire, vel retro insequi,
Sed fidelis Patriarchae virgo creta semine,
Attamen gaudet vocari nomine huius syderis,
Scilicet conforme clarae quòd sit eius indoli.
Nam velut diem recentem laeta Diana inchoat,
Discutitque noctis vmbras omnibus denuntians
Iam fores pultare Solis praepetem currum aureas.
Sic Maria illustris orta nuntiabat adfore,
Qui fugata pestilenti pectorum caligine,
Conderet caeleste lumen, aureumque saeculum.
Nec modo huius antecessit principis praesentiam

Auſpicans fauſtum nitorem, ſed ſuo de corpore
Edidit puerpera almo, ſtella vt auram lucidam.
Nam velut iubar receptat, ac remittit proprium
Stella Solis verſa ad orbem, intenta ſic ſoli Deo
Concipit ſuum Maria, filiumque enititur.
Taliter phoenica caſtam candidum adſpectum ferunt
Obtueri mane Solis, contuendoque omnibus
Igne concepto medullis dulce carmen fundere.
Quin & orbem illuſtrat amplum moribus caeleſtibus,
Nam probata vita Diuae (cantat vt ſacer chorus)
Saeculis exemplar ardens, atque lux noua exſtitit.
Sic ſuis mortale cunctum conuenuſtauit genus
Cultibus virtutum honeſtis, ac lepore florido
Facta forma ſanctitatis, atque continentiae.
Quàm bene ergo à deferenda luce nomen Lucifer
Additur Diuae, nouenis detulit quae menſibus,
Protulitque lumen orbis, totque praebet munera.
Et licet tali rebellis dictus eſſet nomine
Angelus, qui praeſidebat caeteris ſublimior,
Haud tamen ſeruauit illud vmbra factus lurida.
Detulit ſecum tenebras, non iubar laetabile,
Quòd ſe ab almo fonte lucis, Patre vortit luminum.
Sicque poſt caliginoſus, reſtititque noctifer.
Quin & alter tale geſtat nomen, ille ſcilicet,
Qui Deum tinxit lauacro ſacroſancti fluminis,
Quòd tulit luci fidelis vltro teſtimonium.
Sed magis Virgo beata debet iſtoc nobile
Poſſidere nomen, almum quae iubar mundo intulit,
Per quod ipſe fulget orbis, templa fulgent caelitum.
Huc quoque adde, illuſtris ortum comparari virginis
Phoſphori naſcentis ortu, naſcitur quae filia
Gratiae, non irae acerbae, ſicut omnes naſcimur.
Gignimur tenebricoſi luce caſſi gratiae,
Sicque naſcimur miſelli, at ipſa nata vt lucifer,
Nempe tota clara, & omni praedita innocentia.

Vnde & hac de virginali luce dictum credimus
Cladium viro probato multiformi examine.
Num suo induces tu beoum sydus orbi tempore?
Quin videtur comparari posse beoae lampadi;
Caeteris quòd vna claret pulcrius sacris choris,
Qui tenent sedeis supernas, sicut astris lucifer.
Tum fuit quoque ipsa clarus lucifer, quom filium
Edidit clarans prophetas, atque legis abdita
Sensa promens ante nota nemini mortalium.
Nam latex tenebricosus est aquai in nubibus
Aeris, vates canebat, in prophetis scilicet,
Paginisque abstrusa sacris delitet scientia.
Stella Matutina Solis deserit numquam rotam,
Siue surgit, siue pessum it, sic comes superstiti
Diua Virgo semper haesit, occidentique vnico.
Quem reuersum mox ad alta consecuta sydera,
Splendidum Solem aequitatis virginalis stellula
Subditum mundum incolorat sempiterno lumine.
Dicitur iubar, nocere ne queant, blanda face
Temperare Solis ignes, Virgo sic magni Dei
Mitigat iustum furorem, ne cremet saecla impia.
Feruidi conflare amoris mutuum conspirium
Stella fertur Solis index, sic Deo nos copulans
Virginalis faustiori flamma iungit foedere.
Quos Deo inuisos reatus noxiorum criminum
Fecerat, rursum reducit pristinam ad concordiam,
Inter hos, Deumque ruptam gratiam resarciens.
Quin velut diem futurum praeuenire noscitur,
Luciferque nuncupatur stella Solis aemula,
Sic facem lucet Maria mentis vmbris obsitis.
Lucet ijs tantisper, ortus donicum refulserit
Solis ardor sempiterni, quo fugata inscitia,
Criminumque dissipatis ijs diescat nubilis.
Plura quid referre amici de venusto sydere
Hoc oportet, quando gigni cuncta rerum interpretes

Hocce tradunt lato in orbe, concipique germina?
Quippe sero & mane nascens rore vitali omnia
In suo conspergit ortu, sicque conceptus creat.
Hinc licet plane aestimari, quàm Maria polleat.
Hesperon demum putarim posse Diuam dicier,
Quod malos respectet atra nocte mentis obrutos.
Donum vti vitale possit lucis ollis pandere.
Quippe Vesperugo lucem prorogare nititur,
Et vicem conatur eius occidentis reddere,
Quando Sol caput recondit lucidum sub aequore.
Quod quidem facit Maria quando Christus deserit
Nos misellos, lumen almum nititur protendere,
Temperatque noctis vmbras pectorum nigrantium.
Area in caeli planetae tres oberrant inuicem
Proxumi, sublimis ardor Solis, & Cyllenius,
Ignis, & iubar venustum, quod Cytheren dictitant.
Sol quidem vitae vigorem, spiritumque suggerit,
Influit nepos Atlantis callidam ad sollertiam,
Sydus at iucunditatem ferre heoum dicitur,
Trina porro haec apta, & inter se inuicem connexa sunt,
Inuicemque adglutinantur, nam quieta postulat
Vita cum lepore laeto prouidam scientiam.
Atque si horum desit vnum semet amplectentium,
Vspiam nec possit vllus gentium iam viuere,
Nec foret vitalis illa vita, si quis viueret.
Nec parit stella ista tantum alacritatem gentibus,
Quae suo sub regno habentur, sub suoque horoscopo,
Sed sereno claritatem fert eisdem lumine.
Insuper sua efficaci vi sub ima pectora,
In medullasque vsque labens tactu amoris adficit,
Imprimitque formae honorem, gratiamque amabilem.
Sic suos beatiori Virgo luculentia
Assolet mactare puro comparata Phosphoro,
Impetrando inluminantis gratiam scientiae.
Filio coniuncta rerum dat suis caelestium

Notio-

Notionem veram amicis, sicut ipsa praedicat,
Feci ego in caelis perenne lumen exoririer
Splendidi caeli vocantur hic viri caelestia
Regna amantes, porro lumen nesciens hebescere,
Notio ipsa mysticorum sensuum recondita.
Hanc sophorum turba habere concupibant iugiter,
Sed Dei fauore cassi, & stellulae huius lampade,
Numquam eam quiuere nisu proprio nanciscier.
Quin perinde vt stella totam candida inlustrat face
Caerula sub nocte terram, sic Maria in saeculi
Istius crassis tenebris lustrat omnem ecclesiam.
Lustrat inquam perspicacem conferens prudentiam
Mentibus concretione terrulenta pinguibus,
Quare alumnam gnaritatis vspiam se nominat.
Haec simul formositatis fert venustam gratiam,
Non quidem ipsa corporalem, quam potest nequissima
Gens habere, sed nitentem puritatem mentium.
Mentibus contaminatis filij cum numine,
Eximit concretam in imis pristinae labis notam
Sensibus, puros relinquit expiatis sordibus,
Nam velut stella ipsa fuscae noctis vmbras discutit
Solis ob coniunctionem, sic beata è cordibus
Vitia pellit foeda nostris iuncta mater filio.
Haec enim'st stella illa Matutina medio in agmine
Nubium densarum oborta, quae nigram caliginem
Dissipat saecli profani, cunctaque obscoena omina.
Ceu lupi iubar rapaces, atque nocturnae striges
Antelucanum pauescunt, sic & huius candidae
Quaelibet pestis perhorret virginis praesentiam.
Hanc tremit feralis Orcus, & profunda Tartari
Regna lucis almae egena, centicepsque bellua,
Denique & mors expauescit, & tenebrae liuidae.
Nam iubar percellit ardens integellae virginis
Monstra sancto inuisa Patri tortuosa caelitum,
Nec valet quodcumque tetrum cominus consistere.

Ad

Ad Mariae dulce nomen inuocatum protinus,
Ceu lupi praedam rapaces quae retentat viſcera,
Derelinquit pertinacum vis proterua Daemonum.
Quin lues triſtis faceſſit, aegritudo mentibus
Anxijs excedit omnis, membra languor deſerit,
Ceu tholis frequens tabella fixa ſacris indicat.
Hanc amor, lepoſque ſemper, atque mitis ſuauitas,
Gratiae ſequuntur omnes, & venuſtas aurea,
Atque honos comes pudoris, & decens pudor ſimul.
Qua beatum cumque greſſum fert, vireſcunt omnia;
Hic roſae rubent amoenae, candicant hic lilia:
Hic croci color renidet, & nitens violae coma.
Quin ſuo dulci lepore mitigat tigris citas,
Mitigat ſaeuum leonum ſemen, & pardos truces,
Et magis ſi quid creatur efferum terra, aut mari.
Porro quòd iucunditatem perpetem vitae adferat,
Innuit dum dicit ipſa, ſum Dauid ſtirps, & genus,
Splendidaque luce vibrans ſtella matutina ſum.
Proinde qui ſiticuloſus, maceratuſque acribus
Aeſtibus commigret ad me, captet vndas lympidas,
Flumen & vitae beatae iuge gratis hauriat.
Quin ſuos accerſit ad ſe, ſeque adire prouocat:
Vos me, ait, vos quaeſo adite, conuolate ad me vndique,
Ac meorum fructu opimo vos replete germinum.
Sed modum dic ſtella ſancta, quo te adiſſe quibimus,
Te frui, tuoque fructu, nempe ſi perſoluere
Sedulo laudum ſacrarum munia accurabimus.
Nam ſolet laeti leporis impetrare gratiam
Nemini, laudare magnum qui Deum neglexerit,
Proinde grato quiſque promat corde laudes numini.
Id docet nos per figuram quando tympaniſtria
Tympano capto Maria ſubrutis Aegyptijs,
Dulcibus modis Tonantis concelebrauit manum.
Quin docet per ſe beata, quando dulce canticum
Diua prompſit ore ſacro maxumas ſummo Patri

Gra-

Gratias agens quod ipsam tot bonis ornauerit.
Nam velut stella ipsa matutina syluestreis aues
Excitat mane ad canendum, sic Maria ad carmina
Sancta praecentrix Deum nos prouocat sonantia.
Denique ignem sancti amoris adflat in praecordia,
Flammula sacri caloris segniter torpentium
Mentium ciet vigorem Regis alti pronuba.
Quippe quoddam suaue philtron fundit in se amantium
Cordibus, suum quod illos dulcem amare filium
Prolicit noua repletos suauitatis gratia.
Hinc sui sese fidelis voce sacra interpretis
Vspiam dilectionis pulcrae alumnam nuncupat,
Se benignam sacri amoris nuncupat materculam.
Hoc tamen conferre nulli Diua munus adsolet,
Illices vincat valenter ni prius cupidines,
Sicut ipsa cuncta vitia fortiter pessum dedit.
Ergo sanctae si velimus esse cordi Virgini,
Gratiamque tantam apisci, prauitatem vincere
Gnauiter curemus omnem; nam secus nequibimus.
Nam velut contriuit ipsa, contuditque anguis caput
Inferi, non illi amicus quispiam pote effici,
Ni prius supplantet artes perduellis callidi.
In sacris ita inuenitur exarata paginis,
Fulgor vt meridianus vespere exsurget tibi,
Teque vbi absumptum putaris, exoriere, vt lucifer.
Quin tuum pectus valenti fulcies fiducia
Spe data, defossus alta sic humo condormies,
Vsque securus quiesces, nemo te exturbauerit.
Hanc lubens stellam venustam strenuis victoribus,
Vicerint qui saeclum, & eius illecebras sordidas,
Syderum Rex pollicetur sempiternus tradere.
Si quis (inquit) iussa nostra sedulo obseruauerit,
Impiique vim proteruam saeculi p·ruicerit,
Huic dabo volens beoam stellam habere propriam.
Hunc mihi largire quaeso Christe Regum maxume
Pal-

Palmae honorē, victor hostes nō quidē quod fregerim,
Sed quòd istoc fretus astro posse sperem frangere.
Nulla vis tenebricosa praeualere quiuerit
Rex mihi, inuictus sed omne robur aduorsarium
Fregero, modo assit ardor virginalis syderis.
Verùm omisso Solis acris luculento Prodromo,
Ad nouam facem canendam transuolemus ocyus,
Quae Magos ad Regis alti duxit incunabula.
Quando trux natum cruento deuorasse gutture
Masculum draco adpetiuit, quem puerpera edidit,
Sole amicta, sed Magorum elusus arte excanduit.

DE STELLAE REGIAE NOMINE SANctae Virgini attributo, nempe eius, quae magis mirabiliter in ortu Christi apparuit.

Matth. 2. Vidimus enim stellam eius in Oriente.





ESTAT vt stellam comantem, quae Magis adparuit,
Atque eos duxit corusco crine ad incunabula
Maximi Regum, canamus tertio demum loco.
Nam perinde & ista signat gloriosae Virginis
Indolem, pingitque mores, ac supra dictae duae,
Quamquam eam nō aequè eisdē lineis quaeq; exprimat.
Id genus faces fuerunt vel necem portendere,
Vel grauis Regum ruinas, versionesque vrbium,
Nam rubent lugubre, & irae semper edunt omina.
Stella vero Regis ortum nostra quom denuntiat,
Vindicis nostrae salutis, atque pacis auspicis,
Caeteris stellarum inardet milibus serenius.
Huic Leonis corque cedit, & Iouis nutricula,
Cedit Arcturus, nec ausit Virginis spica aureae
Huic suos conferre crinis, ludicrumve Mercuri.
Nam suum Sole explicante fulgur astra caetera
Propriam lucem recondunt, delitescunt illico,
Obruta immenso fluento exhuberantis luminis.
At nihil nouae ardor huius obstupet stellae obsitus,
Nil hebescit luminaris principis praesentia;
Sed simul cum Sole oborto Rege fulget syderum.
Idque dat cognosse magnae virginis praestantiam,
Quae licet conlata Soli, nempe Regi filio,
Parua sit, cum Sole lucet conditore syderum.

Quippe quom cuncta astra Diuum Solis ad veri iubar
Ora pallent, matris almae nil nitori derogat,
Vt patescat Virgo quantum distet ista à caeteris.
Id simul carae Parenti singulare contulit
Munus, vt notescat altae prolis excellentia
In suae matris decorae praenitenti gloria.
Ergo nil perpessa damni, nil diei lumine
Stella laesa, bina curat, nempe matris inclytae,
Et simul gnati eminentem dignitatem pandere.
Proinde quisque rite posset syderi isti imponere
A die nomen Diurno, quòd die per aetheris
Permearet alta Solis nil hebescens lumine.
Haud secus Reginae honorem monstrat admirabilem,
Quòd Magis crinita stella visa, deinde euanuit,
Mox recandens duxit illos Regis ad praesepium,
Rex enim noster benignus non in ampla nascitur
Regia, thorove eburno, verùm vt orbis hospitem,
Publico profudit illum Virgo diuersorio.
Quatuor stella ergo miris hisce rebus innuit,
Quatuor quoque esse in alma mira facta Virgine,
Ipsius quibus notare quimus eminentiam.
Vnum erat, quòd integella, neminique cognita,
Dum viri contactum abhorret, dumque contubernium,
Vnicam signata summi concipit prolem Dei.
Alterum, defectione quòd sine illum detulit,
Integer concreuit aluo, & absolutus omnibus
Partibus suis eodem temporis vestigio.
Tertium, quòd virginali non aperto operculo,
Nil nota laesa pudoris pristini foetum edidit,
Ceu solet crocum rubentem terra verna enitier.
Quartum erat, quòd educauit lacte presso ex hubere
Proprio neglecta ab aeuo lege naturae insita,
Filij rigans labella virginali nectare.
Haec quaterna mira vatum praecinebant buccinae,
Virginem qui floruere multis ante saeculis:

Nam Deus suis prophetis sensa pandit abdita.
Proinde primus inter hosce, & omnibus celebrior.
Ecce, ait, concipiet alma Virgo foetum floridum,
Efferet quem pura in oras luminis puerpera,
Patriaque adpellitabit voce natum Emmanuel:
Butyro vescetur infans, atque mellis nectare.
Quo bonum adprobare norit, & malum refellere.
At nouum, secundus inquit, magnus in terra Deus
Omen edet, vniuersisque insuetum saeculis.
Nam virum sinu puella continebit caelibe.
Tertius vero propheta, dedicata haec principi
Porta, ait, nulli patebit, nec vir illam gressibus
Polluet, Deus per illam transiit quippe Israel.
Quòd si aues teste adprobari quartum adhuc miraculum,
Ne pigescat lectitasse nuptiale canticum,
Illiusque facti habebis grande testimonium.
Quippe ibi sibi obtigisse inducitur praegestiens
Turba patrum Christum amictum carne nostra visere,
Et sacris pendentem ab eius matris almae mammulis.
Quis mihi, quis, inquit illa dulci amore percita,
Det meum fratrem inuenire copiam sine arbitris
Te foris sugentem honestae casta matris hubera?
Te profecto sic repertum limen extra patrium
Millies dissuauiarer, oscularer millies
Tam diu desyderatum, meque nemo sperneret.
Sed caue mireris illud, putidumve existumes,
Quòd ferat Christũ esse fratrem, quodque germanũ suũ,
Quippe iure humanitatis id decus sibi adrogat.
Quatenus Deus supremus Christus est noster sator,
Omniumque, quae videntur, quaeq; se abdunt aethere,
Quatenus de stirpe nostra, noster est frater simul.
At quia haec inusitata, perque mira postmodum
Euenirent, ante mirae quatuor praecesserant
Haec figurae, vera vt isthaec saecla credant postera.
Nam rubus primum indicabat, quem propheta legifer

Viderat flagrare flamma, nec tamen comburier,
Sed manere intactum vt ante frondibus virentibus.
Is rubus flagrans, nec acre sentiens incendium
Plenus igne dat virentem Virginem complerier,
Prole diuina, pudoris nec pati dispendium.
Nam velut nil laetum adurit flammeus vapor rubum,
Sed magis collustrat illum, sic Deus matris suae
Pullulans nil decolorat, sed mage auget gloriam.
Nec suapte id nacta virgo'st, vt rubus de semine
Nata nostro, at singulari vt stella facta gratia,
Quae suum nil laesa pulcrum concipit radium, ac parit.
Concipit suum nitorem stella de Sole integra,
Parturitque intacta eumdem, sic suum de Spiritu
Concipit signata sancto Virgo, & edit filium.
Haud enim decebat illum, qui salutis munera
Venerat deferre in orbem, dignitatem perdere
Inclytae matris, sed illam clariorem reddere.
At secundo sicca virga congruit miraculo,
Quae ratam vt creationem comprobaret Praesulis,
Et tumultum murmurantis agminis compesceret.
Temporis puncto euirescens, atque eodem momine
Fronduit, floresque fudit, atque fructus uberes:
Sicque turbae contumacis fregit insolentiam.
Tale opus typum gerebat sospitalis Virginis,
Quae statim, vt Deo adquieuit, atque consensum dedit,
Illico est foecunda facta, & prolis aucta munere.
Nam velut recisa virga stirpe nullo caespitis
Vuidi vigore fota derepente protulit
Frondium laetos corymbos, gemmulasque floreas.
Inque foetus nocte eadem largiter sese induit,
Sic sine vllo humore foeta seminali extrario
Detulit Virgo absolutum partum ab ipso exordio.
Haud enim concepit illum, caeterae vt vulgo solent,
Quae suos successione temporis formant satus,
Sed simul concreuit aluo totus vno tempore.

Conti-

Continent informe pondus, atque crudas offulas
Caeterae primum carenteis sensibus vitalibus,
Moxque eas maturat aetas, perficitque debita.
Sed simul Verbi subiuit numen aluum Virginis,
Omnibus concreuit auctum partibus corpusculum,
Atque vir perfectus idem, floruitque idem Deus.
Verum opus nulli id videri debet admirabile,
Quando qui nunc vẽtre alescit nõ homo est tantũmodo,
Sed Deus, Deique proles, conditorque syderum.
Quare & hoc non quiuit illa, virga vti de semine
Nata nostro, verum vt alto stella facta munere,
Quae suum iubar propagat totum eodem tempore.
Virga erat, terrae colebat qua solum imum corpore,
Stella vero vt eminenti caelicultrix pectore.
Virga erat, qua florulentum protulit corpus sui
Vnici, sed stella fulgens qua nitorem splendidae
Edidit diuinitatis, virga qua fructum adtulit
Caelitum, sed stella radijs qua rigat terrae infima.
Nunc age ad typum feramur tertij miraculi
Explicandum rite in actis exaratum iudicum
Israel sub fortis albo Gedeonis vellere.
Vellus id primum madescit rore lapso ex aethere,
Postmodum expressum repleuit concauũ conchae sinũ,
Idque erat suae adserendae gentis omen maxumum.
Nam bonus scitatur Heros num parente è caelibe
Concipi summus creator vnicum natum velit,
Vt suos emancipatos morti, & orco exsolueret.
Quippe si signum dedisset tale, tum confideret
Se quoque infestas potesse copias euincere,
Quae sibi imperant tributum turpe, & angunt duriter.
Ergo ponit in patenti nocte vellus area,
Et rogat madescat illud rore caeli gemmeo,
Terra vero posta circum vellus omnis areat.
Qui statim petita adeptus dux sacer, Deo auspice,
Ipse cum paucis suorum castra rumpit extera,

Et

Et refert clarum trophaeum liberatis ciuibus.
Vellus illud rorulentum praeferebat Virginem,
Non quidem complendam aquoso rore, sed magni Dei
Prole sancta, cuius exstat ros figura mysticus.
Porro victor exstat instar Patris almi filij,
Is nigranti extendit album nocte vellus area
Rore caelesti imbuendum, quom Mariam Virginem
Nulla in orbe fruge laeto, saeculo ignorantiae
Obsito squallore tetro, praeparauit gratiae,
Vt sinu Regem supremum candido capesseret.
Ac sagum Duci beato regium de vellere
Propriae carnis pudicae dia Virgo intexeret,
Quo potens mortem cruentam, tartarumq; exscinderet.
Quin & hoc signo petendo quaeritat fortissimus
Israel ductor, queat ne victimam talem dari,
Cuncta quae peccata tollat expiando saeculo.
Cuius vmbram iam tenebant immolatum iugiter
Agnulum purum sub amplo foederis tentorio:
Quippe vellus tegmen agni pacis exstat hostiae.
Tum vetus deposcit omen denuo sancirier,
Cuius olim ope emigrasse finibus Canopicis,
Sospites, ducente Mose, nouerat patres suos.
Nempe cum cruore caesi per domos agni hornuli
Postibus cunctis inunctis, & superno limine,
Horridam euasere cladem perditoris Angeli.
Hic enim mactatus agnus innocens, atque integer
Illius typum gerebat, qui sacrae adfixus cruci
Diluit peccata mundi purpuranti sanguine.
Hoc item psaltes propheta rorulenti velleris
Non modo inspicit reductum lympida mysterium
Mente, sed pulsu celebrat blandulae testudinis.
Ecce, ait, descendet altis Rex olympi sedibus
Imbris in morem cadentis lanam in albi velleris,
Et feret pacem perennem saeculis sequentibus.
Ergo in hoc vellus, manente mole terrae squalida,

Aethe-

Aetheris manauit arce roris humor deflui,
Unda quom diuinitatis lapsa solum in virginem'st.
Nec rearis otiosum, nec vacans mysterio,
Dux quod idem expresse vellus rore plenum scribitur,
Atque ventrem implesse presso rore conchae concauũ.
Quippe & hoc pingebat instar Patris aeterni Dei,
Qui sua producta ab aluo Virginis prole vnica,
Gratia compleuit orbem terrae, & oras aetheris.
Ac velut permansit illud vellus integerrumum
Post aquai expressionem, sic & haec puerpera
Pignoris post partionem mansitauit integra.
Mansitat virgo Maria filium dum concipit,
Mansitat dum gestat aluo, nec pudoris candidum
Dum sinu deponit almo, cassa florem perdidit.
Sed nec hoc est compotita, immune quòd vellus foret
Passionis, verùm vt astrum singulari munere
Praeditum, quod omnis expers laesionis fulgurat.
Caeterum quòd educarit virgo lacte proprio
Ipsa foetum sospitalem, petra monstrat mystica
Quae dedit percussa virga fontem aquai lympidum.
Quippe quom gens Israelis per loca errans auia
In Deum commurmuraret, quòd siti tabesceret,
Feruido sub axe tosta Solis acris ignibus;
Inclyti iussu Tonantis asperam crepidinem
Praesul icit rupis altae, puraque inde prosilit
Vnda abunde, qua refecta'st omnis illa concio.
Haec silex erat Maria virgo, de qua praescius
Incinit propheta, Regum maxume agnum mittito
De petra deserti ad altum filiae montem Syon.
Haec enim qua virga segnis gignere, & lactescere,
Qualis & natura rupis, fertilis gignit tamen,
Atque lacte abundat albo, petra fonte vt uberi.
Inde plures recreantur, qui prius cupidine,
Et siti rerum aestuabant torrida terrestrium,
Qui nihil iam fluxum habere, nil caducum gestiunt.

Sed

Sed nec id puella quiuit, vt silex de semine
Nata nostro, at singulari vt stella facta gratia,
Quae sui actutum nitoris fundit auram splendidam.
Quam bene ergo comparatur Virgo stellae lucidae,
Quae suo admiranda in ortu nascitur, quam tot modis
Mira facta praefigurant, totque sacra aenigmata.
Scilicet rubus rubenti non perosa incendio,
Praesulisque virga sicco pullulascens cortice,
Roscidum Ducisque vellus, petra fontemque egerens.
Hic item breui explicandum stella cur haec regia
Dicitur, regaleque astrum, regium quòd scilicet
Denotet genus puellae, augustioremque indolem.
Haec enim de praepotentum stirpe Regum prosata
Se sua pro stirpe honeste rexit, ac regaliter
Regium stemma vsque adaugens moribus regalibus.
Quin velut stella illa Reges duxit ad Christum magos,
Moxque eos rursum reduxit sospites in patriam
Praeuio fulgore pandens rectum iter per deuia.
Sic parens benigna rectà dirigit per saeculi
Istius Syrteis profundas nationes gentium
Ad suum gnatum, atque caelum veritatis lumine.
Quòd si ais Diuam vocari posse sydus regium
Illius propter fauorem, quo fauet mortalibus,
Hoc item sensu probando posse dici existimo.
Nam velut fax illa terris adpropinquabat magis
Caeteris stellis, ita alma caeteris propensior
Diuum adest Regina nobis, fertque opem lubentius.
Quin & hoc videtur astro comparanda Regio,
Quod magis profanā ad vrbē proxume aduentantibus,
Quae sui madere auebat caede gnati, se abdidit.
Quod facit beata tale semper auorsans genus:
Nam fugit perosa saeuos, qui cruento pectore
Innocentem persequuntur perduelles filium.
Haud enim tales merentur experiri gratiam,
Virginisque opem benignae, qui maligne laedere

Caeteros auent, sed omni se exhibet genti piae.
Quin potest sydus diurnum virgini conferrier,
Quòd suum parumper ignem condidit, sed postmodum
Extulit Magis, vt ipsum impensius perquirerent.
Sic quoque ista virginalis stella saepe subtrahit
Se suis caris, vt ipsam concupiscant acrius,
Postmodum se vero pandit mira portans gaudia.
Quippe si exsultare solum tres viros praeludium
Illius fecit reductum, quid putandum quom suis
Laeta se Regina promet comptibus caelestibus?
Et quidem se pandit istac saepe vita in labili,
Haud tamen contingi aperto fas beatam lumine,
Verùm vbi huius inuolucrum corporis reliquerint.
Tum suis tandem videndam se exhibebit clarius,
Quam videre gestiebant, omnibusque gaudijs
Delibutos ponet illos sempiterna in gloria.



DE NIVIS NOMINE SANCTAE VIRgini attributo. Iob 37. Magna & inſcrutabilia facit Deus, qui praecipit Niui, vt deſcendat ſuper terram, &c.





AGNA pars, quae Diua geſtat, nominum celebrium,
Non modo eius dignitatem, ſanctitatẽque indicat,
Sed docet quoque eius vſum, commodũque maxumum.
Quale Sol, & Noctiluca, clarum & Aurorae iubar,
Terra, caelum, ſtella ponti, lux, & hortus floridus.
Et leuis nubes, & altus mons, & arbos fertilis.
Scala caeli, ſtella heoa, margarita candida,
Ieſſe radix, & columna, & arca ſancti foederis,
Ciuitas Dei ſupremi, Solis alta Regia.
Floridum Sponſi cubile, dulce Verbi vmbraculum,
Et Dei templum ſerenum, & vrna manna continens,
Hortulus nulli recluſus, daedala Iris gloriae.
Roſcidum vellus, rubuſque concremari neſcius,
Igneus currus, perennis fons, & ara gratiae,
Planta cedri, & vitis alma, balſamique arbuſcula.
Palma fortis, inque campis pulcra oliua conſita,
Planta vitae, myrra odora, fructuoſa amygdala,
Laeta myrtus, & puſilla nardus, arbos punica.
Galbanus, pinus, ſalixque, ficus, atque cinnamum,
Floridum pratum, propago ſacra vernans iugiter,
Floſculus croci rubentis, lilium conuallium,
Et roſa inter delicata nata ſentis hiſpidas,
Sola phoenix, quaeque pollet aquila acuto lumine,
Gnaua apis, pudica turtur, & columba candida.
Nauis ad portum ſalutis conuehens erraticos,

Pulpitum Dei coruscum, ferculumque eburneum
Lectulus Sponsi superni mille vernans floribus.
Iudicis summi tribunal, purpuransque taenia,
Germinansque solitudo singulare lilium,
Floridumque ver, eburna turris, altare aureum.
Porta lucis, porta caeli, porta sanctuarij,
Fons oliui iuge manans, atque vas electrinum
Calculus candens, liberque clausus. aula regia,
Gemmeum sertum, corona regia, manna absconditum,
Et patens caeli fenestra, planta vitae perpetis,
Atrium sublime, amicta Sole mulier igneo.
Sardonyx, ardens topazus, & rubens carbunculus,
Fulua iaspis, & smaragdi gemma veris aemula,
Et Ducis scutum potentis belli inexpugnabile.
Regium sceptrum, corusca lampas, huber horreum.
Quis queat referre cuncta nomina huius Virginis,
Queis decus patescit eius, quaeque praestat munera?
Ergo iure inuitat omnis, prolicitque comiter,
Vt suum fructum capessant, sentiantque gratiam,
Taliterque adfatur ore quemque mater melleo,
Gnara opum quantum ipsa condit, quid potis largirier.
Sum Parens dilectionis, atque amoris candidi,
Sum spei, sum celsi honoris, sumque veri culminis.
Gratia omnis veritatis, atque rectae semitae
Haeret in me, spesque vitae, spesque virtutis sacrae,
Quae meis volente nato dona amicis largior.
Proinde qui me cumque amatis, cõuolate ad me vndique,
Vndique ad me conuolate, de meisque inanias
Adfatim replete vostras quisque partionibus.
Nam meus dulcore vincit suaue nectar spiritus,
Ante mel mea it, fauumque sempiterna haereditas,
Quin meum manet per omne memoriale saeculum.
Qui comest me adhuc famescit, qui bibit sitit magis,
Ac magis, qui in me laborat, in scelus prolabier
Haud potest, qui me celebrat, vitam habebit perpetem.

Hinc licet niuis notari cur adoptant virgini
Nomen, vt nimirum honestas, dignitasque inclareat
Illius, quantumque rebus consulit nostris pia.
Quippe quòd candore pollet, algidoque frigore
Nix, dat hanc fuisse summa puritate praeditam,
Et simul turpi calori non fuisse obnoxiam.
Nec modo ipsa algore sacro compta caelebs perstitit,
Verùm & omnis sese amanteis, & colenteis sedulo
Efficit pollere tali dote castimoniae.
In suis lenit furorem tristis iracundiae
Seruolis, domatque tetrum fomitem lubidinum,
Dico opum, ventrisque turpis, atque honoris labilis.
Quin potest contractiorem delicare spiritum
Virginis rigor niualis, quae genetricem Dei
Neutiquam se nominabat, sed ministram paruolam.
Nix item candore nostra quòd retundat lumina,
Virginem compescuisse dat iecur procacium,
Nequiter ne sese amarent, neu cupirent improbe.
Porro quòd facul liquatur, quodque tabescat cito,
Hanc eamdem adfectione dat pia resoluier,
Quando conflictamur artis, angimurve incommodis.
Tum solet benigna nostris subuenire angustijs,
Cladiumque acerba lenit, sicuti mandat Deus,
Scilicet maturet opportuna adesse egentibus,
Multa, ait, patrat stupenda, & ardua indagarier
Inclyti virtus Tonantis, qui niui albae praecipit,
Vt super descendat amplam terram ab oris aetheris.
Hic niuis sub voce Diuam tu Mariam intellige
Mystico de more nostro, porro terrae nomine,
Terrea compage cretum saeculum nostrum adcipe.
Sic Deus proles beatae Virginis matri suae
Imperat nobis adesse, sospitareque anxios,
Quippe qui volt aduocatam nostram, & esse praesidem.
Cana quod perstringat aciem, quòd queat vix perspici
Nix nitorem ob candicantem, signat almae Virginis

Gloriam

Gloriam vix comprehendi, vixque posse percipi.
Si ferunt fulsisse tantum donicum nobiscum erat,
Vix vt illam posset vlla contueri pupula,
Quid putandum sempiterna nunc locatam in gloria?
Proditur venisse ad ipsam patricium Mineruium,
Pauli alumnum, ac viso honestae Virginis miraculo,
Conspicari luculentum clamitasse instar Dei.
Ac professum tantum honoris illam ab ore emittere,
Quòd nisi exploratum haberet de fide sui vnici,
Credidisset esse numen vniuersis praesidens.
Istius sagaci honorem mente conspicabilis
Viderat niuis Sacerdos filij cognominis
Ante multis quàm vigeret fusa in orbem saeculis.
Ergo vates virginali praecinit sic de niue.
Gloriam candoris eius visus admirabitur,
Crebritatem ninguidi imbris cor stupescet intuens.
Queis quidem verbis retexit quàm siet spectabili
Virgo compta puritate, quamque sit largiflua
Gratijs impertiundis in genus mortalium.
Quòd niuis natura in altis, & locis sublimibus
Gignitur minuta, signat Virginem esse humillumam
Mente, quamuis constet ortam regio de sanguine.
Decidens candor niualis integit prata herbida,
Et satorum laeta culta, tum pruina tegmine
Tali operta non perurit, nec Boreas depascitur.
Sic fauor sponsae decen'is, atque suffragatio,
Ne Dei nos perdat ira facta nostra ob impia,
Protegit nos à periclis cladium ingruentium.
Ninguis ex longo incubatu terra pinguescit macra,
Et solum fit laetum, & huber, sic seges terrestrium
Mentium de virginali exhuberant consortio.
Quòd Noti spirante flatu liquitur nix algida,
Atque humum foecundat vdam, dictat almi Spiritus
Diuam amore adflatam opimis nos beare dotibus.
Sed cedo alias qualitates Musa comparabiles,
Quas

Quas Hera cum nostra habere nix aquosa creditur,
Hincque capta occasiones consuendi carminis.
Nix deorsum lapsa ab alto veste sordeis candida
Occulit, fimetaque atra, Diua nostra turpia
Probra mater velat excusando, ne compareant.
Iam suae candore sonteis vestit innocentiae.
Haud enim patrocinando nos tegit tantummodo,
Sed suorum ditat addens de bonorum scrinijs.
Pangit id propheta in hymnis inquiens, Lauda tuum
O Syon Deum, niuem qui dat velut lanam tibi,
Scilicet Diuam nitentem pro tuo velamine.
Nec quid insuetum videri debet, aut cuiquam nouum,
Copijs vestire nudos posse mortales suis,
Quae Deum immortalem amictu de suo magnũ induit.
Hocce amictu vidit olim tectum eum vates sacer,
Ipse, ait, sator resedit temporum Diespiter,
Illiusque laena candens tamquam erat nix albida.
Nix quieto lapsu ab alto se profundit aere,
Et niuale ponit aequor, sic benigna aequaliter
Exhibet se virgo iustis, exhibetque noxijs.
De niue eductum liquorem vim ferunt compescere
Aluum habere dissolutam, lubricosque identidem:
Alma stipat, atque luxu nequiore perditos.
Molliori aestate pendent poma quot rubentia
De suis ramis, seueros, tot facitque sobrios,
Antea qui diffluebant turpiter lasciuia.
Nix feris inuisa, prodit quòd pedum vestigia,
Obtegitque pastiones, sic latebras daemonum,
Machinasque Virgo pandit, eripitque pabula.
Quòd sua nix laxitate non secus quàm spongia
Huberem rorem capessit, signat almam Virginem:
Et Dei sitisse dona, & dona adeptam plurima.
Nix petit sublimiora montium cacumina.
Saepius, sic Diua menteis arduas conuisere
Adsolet, loquor, solutas terreis contagibus.

Can-

Candidasque has vsque reddit impetrando Spiritus
Gratiam sancti, niuis quam cana signat claritas,
Sicut ipsa dixit olim Romulae vrbis Praesuli.
Namque quom sibi Aesquilino colle vellet exstrui,
Sirio flagrante templum, ningue fusa desuper,
Quae locum tantum occuparet erigendi culminis,
Te tua, inquit, gnaua virtus vsque eò laudabilem
Ponit, vt confiat orsum tale primum, te auspice,
Tale opus, nemo quod ausus sit prius molirier.
Hic mihi templum exstruendum mando vbi nix mystica
Decidit, locumque totum texit albo vellere,
Quae quidem candore donum signat almi Spiritus.
Hinc reor sanxisse patres hunc diem obseruabilem,
Atque festum vbique habendum, quo die miraculum
Tale factum, adfinis almae nix quòd exstet Virginis.
Quippe fiunt continenter mira in orbe plurima
Virginis virtute sanctae, non celebrantur tamen
Feria peculiari rite, vt istuc adsolet.
Sic quotannis censuere publica lucem vice
Hanc haberi sacram vbique nedum ob id miraculum,
Verùm ob id quod comparatur nix nitenti Virgini.
Quo niuis demum adplicemus lubricum, ni laudibus
Ipsius, queis quisque quantum se tenere eam putat,
Labitur tantum, nec vlla laude quit comprendier.
Aequè vti nitaris vdam si manu muraenulam,
Aut tenere anguillã in arta, quanto enim illam fortius
Postules pressare, tanto elabitur velocius.
Quanto enim quis plura dicit, plura restant dicier,
Fine nulla terminantur illius praeconia
Quamlubet cunctis vbique praedicetur saeculis.
Hi cluent thesauri opimi, quos Deus Iob arguens
Adserit numquam attigisse mentis acri indagine,
Num ne, ait, niuis fauissas tu subisti candidae?
Hinc licebit vsque sumat quisque quantum optauerit,
Haud tamen vastum profundum explere tale quiuerit,
Quin supersint plura sumptis, atque maiora indies.

DE PARADISI TERRESTRIS NOMIne ſanctae Virgini attributo. Gen. 2. Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, &c.





PEM quoque adferebat huius ſoſpitalis
Virginis,
Quod Deus Solis ſub ortum ſeuerat pomarium
Omnibus vitam refertũ commodis beantibus.
Hocce enim horti virginalis cum ſuis virtutibus,
Quae notantur rebus illis, queis refertum erat nemus,
Myſticum exemplare quoddam proditum'ſt diuinitus.
Proditum, vt ſperaret orbis quod figurae notio
Praenotabat illa poſſe tamdem apiſci, ſcilicet
Virginem tot compotitam munerum adfluentia.
Tradit id ſcriptor vetuſtus exſtitiſſe exordio
Conditum mundi, prius quàm ſumma rerum exiſteret,
Ante quàm depacta moles terrei foret ſoli.
Quin ſitu exceſſiſſe fertur montium cacumina
Omnium, quo nulla poſſet nubilorum denſitas,
Non vapos terrae, nec atrae vis procellae attingere.
Vnde quando dirus imber obruiſſe traditur
Omnia, vt ſcelus nefandum plecteret mortalium,
Vſque eò non pertigiſſe pontus ingens creditur.
Hic nihil ſtringit vetuſtas, nil vietum, aut marcidum
Viſitur, pulcra vigeſcunt ſed iuuentute omnia,
Quidquid intra tale ſaeptum floret aeuo perpeti.
Cultaque amnem temperaſſe laeta amoenum proditur,
Qui refuſus in ſonantis quatuor mox vortices,
Irrigaret vniuerſae terga terrae ſquallida.
At nemus perflabat aura lenibus Fauonij

Floridum flabris tepentis haud parum iucundior,
Et fruteta pulcra miti recreabat flamine.
Herbidis comis virebat suaue terra olentibus,
Floribus passim micabat discolori in gramine,
Atq; frugũ hubertim alebat quidquid vsquã prouenit.
Hic decus magnum enitebat arborum felicium
Aureis onusta pomis mitis arbos consita,
E quibus, si quis comesset, esset expers funeris,
Vnde de re adpellitatur congruo cognomine,
Quòd suo de fructu edentum prorogare nouerit
Spiritum, vitalis arbos, planta vitae perpetis.
Huc quoque accedebat arbos nobilis scientiae
Dicta, quòd coorta ibidem mentibus dementiam
Demeret, scitaque fruge perspicaces redderet.
Huc Deus sollerte cura quem luto compactili
Finxerat, nouum colonum duxit, vt laetabilem
Possideret hortum, & illum cultiorem redderet.
Tot bonis pollens heois partibus seorsum situm
Huber almum erat Mariae forma solitariae
Omnium ditis bonorum luculentis gratijs.
Quod manu Dei, quòd esset consitum sollertia,
Suggerebat singulari florituram gloria
Virginem, nec comparandam caeteris mortalibus.
Quòd foret situm sub ortum Solis, ingerit nouum
Virgine alma Solem oriri, quĩ fugata inscitiae
Nocte, caecis dulce lumen mentibus praepanderet.
Quod foret porro ante rerum conditum natalia,
Innuit fuisse mente destinatum in numinis,
Virginem vt talem crearet primo ab aeui exordio.
Necdum, ait, vorago abyssi facta erat, nec fontium
Eruperat latex perennis, nec cacumen montium
Arduum stabat sub astra, quando ego prognata sum.
Quòd nec id turbo proteruus, nec vapos perstringeret,
Virginem exsortem futuram terreis adfectibus,
Motibusque turbulentis exprimit cupidinum.

Quippe

Quippe erat praeclarus ille, quem beata Ternis
Cluserat sera perenni, saepserat que grauiter,
Hortulus, ne posset ipsum pestis vlla inuadere.
Hunc patris summi potestas contra iniqui daemonis
Muniit vim, contra & astus callidos sollertia
Filii, contra malitiam Spiritus benignitas.
Nempe ea decebat illam, cui Deus concredere
Vnicum suum volebat, sanctitate excellere,
Qua sub ipso nulla maior quit Deo inuenirier.
Quòd situ nil hic fatiscit, nil putri corrumpitur
Tabe victum, signat alma nil fuisse in virgine
Obsoletum, nil vetusto rancidum peccamine.
At scatens hinc flumen ingens suggerebat filium,
Non quidem lymphis aquosis temperantē humū aridā,
Sed sacris fibras quaternis cordium sermonibus.
Ipse, ait, felici ab horto more silani exii,
Quem sator mundi expoliuit daedalis nitoribus,
Huberemque fecit omni gratiarum copia.
Quin potest amoenus amnis denotasse huberrimam,
Virginisque exhuberantem gratiae clementiam,
Quam refundit per quaternos orbis ampli cardines.
Optima ipsa testis huius proditat sententiae;
In meatus morem aquai profluo fonte huberi,
Profluo, nostrumque flumen ad mare vsque adlabitur.
Pertinet quid vero ad almam lenis aura virginem?
Clamitat fuisse sancti peruiam solatio
Spiritus aestum leuantis, & labores anxios,
Clamitat fuisse septem compotem charismatis
Ipsius, donisque opimis, quippe sponsam propriam
Omnibus benignus auxit luculentis dotibus.
Quin viror comantis herbae, & flosculorum gemmulae,
Atque ibidem fructus ortus huber ipsam delicat
Omnium virtutum honestis floruisse insignibus.
Arbor at vitalis illa praeferebat virginis
Vnicum natum, cruentae mortis vltorem inclytum,

Et repertorem salutis, luminisque perpetis?
Hunc adumbrabat quoque illa planta dicta scientiae:
Nam cluet Rex noster omnis notionis arbiter,
Et rationis fons, & omnium mentium verum iubar.
Hic fidei se erigebat cedrus altum in aethera,
Pullulabat hic cupressus viuidae spei simul,
Tum rosa ardens caritatis purpuranti murice.
Hic oliua index virebat lenitatis huberis,
Quaeque nulli palma cedit impotenti turbini,
Atque lato ad protegendum nata tegmine platanus.
Quod Deus nouum inquilinum denique hortum in huberē
Duxerit, puellae in aluo non viri de semine,
Sed Dei virtute dictat gignier magnum hospitem,
Redderet qui fructuosam virginalem clausulam,
Cultibusque ornaret amplis florulentae gratiae,
Et simul florem pudoris contueretur sacrum.
Hisce lucus congruebat cum nitenti Virgine
Symbolis, rebusque sacris, pluribusque idemtidem
Discrepabat victus, infra quae retexam nauiter.
Primulum terrestri in horto de virili condita'st
Degener foemella sexu, virginali agellulo,
Virque verus pullulauit, & Deus verus simul.
Patuit ille perditori, qui colonum, ac posteros
Interemit, angui atroci, at hic salutis principi
Se reclusit sempiternae, clausus angui perstitit.
Quin & anguis virulenti, qui priorem foeminam
Tabido infecit veneno, & nos per ipsam obnoxios
Fecit omneis morti, & orco, obtriuit impium caput.
Sicuti truci draconi dictum erat diuinitus.
Bella te inter saeua ponam, foeminamque mutua,
Inter vtriusque semen, haec tuum obteret caput.
Illo ab horto extrusus Adam'st protoplastus turpiter;
Ast honeste in hocce princeps collocatus Christus est,
Matris inquam cum pudore cretus Adam postumus.
Sic obex conflatus illic nosque, & inter caelites,

Et

Et maceria ducta in altum diruta est hic denique,
Inuicemque copulata sunt procul distantia.
Ac licet semel per ortum corporalem hunc hortulum
Exijt diuina proles, hunc tamen per saecula
Incolet diuinitatis templum, & aulam regiam.
Creuit illic fructus ater, qui necem mundo intulit
Imbuens malis venenis, fructus auspicabilis
Creuit hic, mortale saeclum quo reuixit denuo.
Arbores terrestri in horto quaelibet iuxta genus
Proprium fructum ferebant, virgo sed supra suum
Protulit genus, Deum quae intacta nobis edidit.
Nam supra genus muliebre'st, virgo quòd conceperit,
Zonulaque cum pudoris quòd sit enixa integra,
Atque quòd virgo educarit lacte pignus proprio.
Sed quid est firma quòd vsque virginalis hortulus
Hic sera claudi feratur, quodque forti pessulo
Cantico in sacro asseratur semper oppilarier?
Hortus occlusus vocatur, non quòd vllos gratia
Arceat sua benigna Virgo, sed quod illius
Candidum florem pudoris nemo delibauerit.
Quin & ipsa dicta opertus hortulus, quòd neutiquam
Arculam cordis subiuit tetra cogitatio
Siue sponte oborta, siue immissa ab hoste callido.
Huic nequit phaeacum amoena sylua compararier,
Nec solo semper virenti laeta tempe Thessala,
Aut nemus Solis, quod ales picta phoenix pascitur.
Haec enim numquam adtulere culta germen floridum,
Quod tulit clausum perennè virginale pratulum,
Arborem tollentem olentis saeculi putredinem.
Hic oriri mala cernas profluenter omnia,
Quae rubescunt suaue, & auri flore flauent luteo:
Nec genus quod fertur vsquam cumque desit nobile.
Hinc & illae emissiones prodeunt amabiles
Quae replent iucundo odore quidquid vsquam tegmine
Clauditur caeli patentis, quidquid extra extenditur.


Cyprus,

Cyprus, & nectar salubre nardus halans naribus,
Tum croci colos rubentis, cinnamumque nobile,
Atque myrrae planta odorae, planta aloes, & fistulae.
Quin ferunt arbusta gemmis hic virere lucidis,
Iugiter scatere fonteis aureis liquoribus,
Et iubar nostro exoriri Sole luculentius.
Hoc vireto in singulari regia sato manu
Maxumus Pater parauit omnibus conuiuium
Gentibus, quo nemo lautius vidit, aut prolixius.
Quippe in hoc agno nitenti, qui scelus mundi eluit,
Omnibus sponsam iugauit adfluentem dotibus,
Ac thorum taedis beatis strauit idem floribus.
Hic sacrata nuptiarum foedera auspicatus est,
Vnicum gnatum coronaque induit spectabili,
Fulgido aduelauit ostro, regijsque insignibus.
Quis queat tot explicasse ferculorum milia,
Quisve massici, caleni, caecubique pocula?
Regij quis adparatus gloriam admirabilem?
His nequit solaris illa mensa compararier,
Quam ferunt cunctis patere, qui velint accumbere,
Omnibus cibis refertam sponte suppetentibus.
Hic supra circumque obumbrant carbasa intenta aurea,
Russa, ferruginea, fulua, per columnas lygdinas,
Et trabeis per aurulentas, lectulos argenteos.
Quis pauimentum superbum gemmeis emblematis
Explicet consertum, elenchis vndique albicantibus?
Quisve picturae lepores, atque opus toreumatum?
Ter beatus, ampliusque qui vireta indugredi
Haec queat, Rege adnuente, mysticasque sumere
Hic dapes, numquam esuribit, numquam egebit postea.
Huc suum praeclarum Amorem casta amica, vt carperet
Poma, caeli deuocauit lucidis cubilibus,
Et comesset carpta ramis arborum felicibus,
Adnuit porro ille votis gratiosae amiculae
Crebra se inuitantis, atque praeferacis hortuli
Flori-

Floridum saeptum petiuit, sicut ipsa concinit.
In suum descendit hortum dulcis ille Amor meus,
Et procul spirantum adiuit areas aromatum,
Vt sacris pascatur hortis, colligatque lilia.
O mihi concedat huius mitis horti consitor,
Et satus felici in horto fructus horti floridus,
Vt feracem ingressus hortum dulce pomum colligam.



DE PALMAE NOMINE MARIAE triumphali Virgini attributo, propter eius inuictam fortitudinem, per quam cunctas vicit aduersitates, & contriuit caput serpentis antiqui. Eccl. 24. Quasi palma exaltata sum in cades.





VNC mihi quaedam expedire mens peculiaria
Suggerit Diuae attributa Virgini vocabula
Arborum, quae claro honore praeferuntur caeteris.
Inter has cur palma dici gaudeat retexere
Nunc velim, sed difficultas terret alti carminis,
Arduumque opus, sed ipsa fretus auspice ordiar.
Ergo palma nuncupatur in sacris oraculis
Palmeum quòd gestet instar proferens suauissimum
Dactylon, quo loeti amaror coepit edulcescere.
Palmeo nam comparatur pignus almum dactylo
Virginis, tum propter olli dulce nectar inditum,
Tum rubrum propter cruorem, quo madescens occidit.
Quòd nec vmquam cessit atro principi caliginis
Mente summo intenta caelo semper, & caelestibus
Sed caput diri draconis calce forti contudit.
Adde quòd vesaniente flexa numquam est impetu
Turbidi saecli, sed ipsum cum suis terroribus,
Cum suisque virulentis perculit pellacijs.
Quippe enim Cades beatis educata in saltibus
Creuit vsque sanctitate caeteris felicius
Emicans, nec quiuit vlla vi maligna inflectier.
Vnde clara praedicari voce victrix se audijt
Arbitri pugnae insonantis. Dia Virgo haec indoles,

Et

Et tua haec statura palmae comparata est arduae.
Hic crucis palmam vocauit Rex triumphalem arborem,
At staturam forte robur mentis vsque inflexilis,
Pectorisque vim potentis nescij pandarier.
Nam velut nostri hasta Regis fixa nisu perpeti
Crux stetit, dum vindicaret saecula adfrementibus
Circum eam, supraque magnis hostium tumultibus.
Sic Mariae mens fidelis, caeteris lapsantibus,
Firma mansit more rupis passionis tempore,
Quam graues procellae adurgent turbulenti marmoris.
Nam licet quot Christus ipse semiuiuo in corpore
Volnerum gerebat ictus, tot quoque ipsa saucijs
Virgo plagas ferret intus anxia in praecordijs,
Ac licet confossa acuto cor doloris spiculo,
Sicuti senex prophetes antea praedixerat,
Quo die dilectum Iesum paruolum Patri obtulit,
Haud locum compleuit omnem questubus muliebriter,
Nec genas carpebat vngui prouoluta in puluere,
Aut scidit comptus reuolsis virginaleis crinibus.
Nilque prorsus indecenter egit, aut incondite,
Nil malo externata tanto turbidum ore protulit:
Sed suum moerorem acerbum temperabat fortiter.
Et quidem prorsus decebat caeteris materculis,
Impotenter quae suorum filiorum in funere
Eiulant, distare nostram singularem virginem.
Nam perinde ac gnatus almus, aestuans incendio
Flammiganti caritatis indolebat acriter
Pessum abisse mancipatum tartaro nostrum genus.
Id sciebat velle patrem, velle & ipsum filium,
Spiritumque velle sanctum, velle cunctos ordines
Caelitum resarciendos, velle terram, & aethera,
Sicque sub crucis valenter stabat immota arbore,
Et suum Patri obferebat candidum agnum ouicula
Innocens, piacularem, victimam placabilem.
Proinde Diua inuicta propter hancce fortitudinem

Nesciam tanto malorum ponderi succumbere,
Ceu phalanx armata nostris horrida est facta hostibus,
Si trucum te infesta circum turba sistit daemonum,
Ut procellat, inuocato nomen almae heroidis,
Et fugabis monstra tetra, ceu fugat fulmen crucis.
Nam valet perinde nomen virginis fortissumae
Ad fugandum quodque tetrum, quodque inauspicabile,
Atque signum insigne nostri Regis inclytissumi.
Ergo agonum censor ille primitus caelestium
Arboris fortis vocamen detulit viragini,
Ante quàm prodiret orta pusa in orbis aream,
Nil enim decus Mariae norat aeque ostendere,
Atque palmae insigne robur fortibus decens viris,
Quod ferunt quoque insecutum, quom migraret saeculo.
Quippe vbi almam sospitator maxumus feretrius
Vellet in secreta caeli templa Matrem adsumere,
Et supra coetus beatos conlocare caelitum.
Tum citis comptum decenter legat alis Gabriel
Angelum in nemus, quod orbis seuerat primordio,
Ac iubet spadica ferre Virgini duellicae.
Nempe vti virtutis index eius esset omnibus,
Qui sacrum funus viderent virginale efferrier,
Et decus praesigne adeptam noscerent adoreae.
Isque adit nemus volatu praepeti, & ramusculum
Palmeo de crure carpit praenitentem argenteis
Frondibus, defertque diuae lectulum ante caelibem.
Talibusque adfatur, horto de geniali termitem
En tibi fero Alma palmae iussu amati filij,
Quem feretrum ante imperabis ferrier functae tuum.
Te decet, te praeter omneis Virgo palma nobilis,
Mille te decent coronae, & militares laureae,
Ciuibus quae liberasti cum tuis cunctum genus.
Hisce dictis laetus ales tranat immensum aera,
Seque hero sistit supremo, & expedit quid egerit,
Illa agit submissa grates maxumas Patri Deo.

Mox-

Moxque in vnum ex vniuersis Rex sodales congregat
Partibus vectos per aethram Matris ad limen suae,
Vt fuant praesto emigranti, & iusta soluant funeris.
Nam ferunt optasse Diuam tum videre, & alloqui,
Ante quàm defungeretur, saeculoque excederet,
Quidquid in terris manebat illius sacri chori.
Quare ei sistuntur omnes pro suo voto ad fores
Insimul diuerso ab orbe rapti in altis nubibus,
Decubantemque introeuntes repperere lectulo,
Non quidem febri acriore, pignoris sed vnici,
Quem diu desyderarat, dulci amore languidam,
Quòd pati nequiret eius amplius diuortium.
Id palam testatur ipsa sponsa sacro in cantico.
Qui tenetis pacis vrbem ferte Dilecto meo,
Quòd misella amore flagro, quodque amore langueo.
Huc item celebriore de nota complusculos
Tum simul prӕter relatos conuolasse proditur,
Nempe mystas hierarchis cum suis lectissumos.
Te quoque ex Areopago facte noster municeps
Cum magistro interfuisse scriptitas praenobili,
Et Dei Matrem extulisse per vices aptis modis.
Haud enim Sanctam putastis prosequendam naenijs,
Luctibusque praeficarum more, sed concentibus
Rite factis, quae salutem perdito mundo intulit.
Ergo vt hos Regina vidit, consalutat singulos,
Omnibusque adgratulatur Gnati alumnis inclyti,
Sed iubet Doctorem auere nominatim gentium.
Macte, ait, dilecte fili Paule, noui angustias,
Quas tulisti veritate pro tuenda fortiter,
Compedes, plagas, labores, milleque aerumnas graueis.
Sed tibi preti parata'st palma inaestimabilis,
Et corona promerenti sempiterno in lumine,
Quam manu sumes benigna filij victor mei.
Sicque conlaudabat omnis singulatim Apostolos,
Quasque poenas quisque passus, exprimebat gnauiter,

Pro ſuique honore Nati, & pro ſalute gentium.
Tum venit quoque ipſe Chriſtus cum choro immortalium
Tollere in caeleſte regnum Matris almae ſpiritum,
Mox reuerſurus receptum copulatum corpori.
Sic domus candore miro coepit exſplendeſcere,
Et nouo ſuffitu olere aromatum caeleſtium,
Quo refectus iubilabat coetus ille nobilis.
At Deo illa gratulari plena inexplicabili
Gaudio, quòd hora adeſſet iam migrandi è ſaeculo,
Atque ouanti dulce carmen illud ore expromere.
En tibi Rex confitebor ſumme princeps caelitum,
Te meae ſalutis auctor, te canam decus meum:
Et tuum ſublime nomen grata tollam laudibus.
Quòd mihi adiutor fuiſti, quodque cuſtos optumus
Vindicaſti à clade triſti corpus, & vitam meam,
Caſſibus de linguae iniquae, triſtibuſque opprobrijs,
Atque contra me inſequenteis obſtitiſti fortiter,
De molaribus leonum, pro tua clementia,
Liberaſti rugientum, & omnibus me anguſtijs.
Rex ſub haec animam euocare coepit, vt praeſul chori,
Praecinens mea electa adeſdum, cura ades mea vnica,
Te meum thronum eſſe creui, Virgo ades de Libano.
Illa ad haec, Deus paratum, corque promptum adeſt meũ.
Geſtio dudum emigraſſe, vt gratias agam Patri,
Et tibi benigne fili, Spirituſque numini
Hiſce pro mihi adtributis ſplendidis honoribus,
Caritas paterna ſponſam, quòd ſibi me adſciuerit,
Tuque praeſtas dulce germen, dicar vt mater Dei.
Quodque me fecit ſuum ardens ſpiritus ſacrarium,
Vnde cuncta me beatam propter iſthaec munera,
Nemini collata ab aeuo, praedicabunt ſaecula.
Ergo ades plexa corona vinciam te ſydere
In meo regno nitenti, ceu me in orbe taenia
Virginali cinxſti, & almo corporis geſtamine.
Te boni propenſa Patris, te voluntas filij,

Spiri-

Spiritusque praestolatur. te videre exercitus
Caelitum praegestit omnis, laudibusque tollere.
Hisce dictis exiliuit gnati in amplexum sui
Spiritus candens Mariae luce Solis clarior,
Quem lubens excepit Heros summus vlnis obuijs.
Sicque treis remansit ortus illa Solis candida
Corporis compage cassa, prolis exemplo suae,
Verùm vbi Matuta fulsit ter, resumptis artubus
Gloria auctis sempiterna, se recepit ad Deum
Omnium stipata nube luculenta caelitum,
Tum patere coepit illud peruetustum oraculum
Editum iam retro multis sub figura saeculis,
Foederis sublata nubes clara de tentorio,
Per suasque iere turmas cuncta pubes Israel-
Praeuium ductum sequentes nubis admirabilis:
Porro ea in Pharan resedit monte solitario:
Clara, ait, sublata nubes foederis tentorio'st.
Nempe Virgo pura ab istoc mundiali tegmine,
Israel sequente turba, scilicet caelestibus,
Quae Deum spectant, choreis circum eam stipantibus.
Conquieuit porro nubes in Pharan secessibus,
Quando sancta in luculentis aetheris septemplicis
Diua campis collocata'st per manus sui Vnici.
Hanc Dei nubem coruscam subuolantem ad sydera,
Ac nouo complentem odore templa caeli lucida,
Caelitum stupens caterua fudit ore talia.
Quae nam humi desertae ab oris Diua surgit inclyta,
Ceu columna celsa fumi de vapore thureo,
Deque myrra ducta, & omni pulue pigmentarij?
Tum Saba est Regina felix sacra Idumes moenia
Cum frequenti ingressa pompa, nempe Virgo caelitum
Cum choris caelum subiuit, proprijsque dotibus.
Nec tacet vero ipsa claris quomodo successerit
Atrijs caeli patentis, sed manu sui vnici
Se refert deductam honore, quo decet matrem optumã.

Tu quidem, inquit, care fili dexteram tenens meam,
Me lubens deduxti in ampla caelitum palatia,
Inque ſedem collocaſti maxuma cum gloria.
Iam ſupremas lucida arceis incolo ſummi aetheris,
Igneae in nubis columna ſtat meus nixus thronus,
Quae iubar caelis perenne feci oriri in arduis.
Huic item Reginae honori ſub typo praeluſerat,
Intumum quom limen aulae pulcra Ediſſa regiae
Tota diti compta cultu tertia intrauit die.
Sic ſuo cum corpore alma Θεοτόκος deducitur
Praenitens caeleſtem in aulam, ſic decoris adcipit,
Et preti virtutis ergò palmam inaeſtimabilis.
Ipſa erat quippe illa victrix palma, quam ſe dixerat,
Ante quàm progerminaret, velle adire filius,
Atque fructum laetum opimis carpere è ſpadicibus.
Addidit fidemque dictis, quando ſe exinaniens
Aetheris demiſit arce matris in ſinum piae,
Seque conueſtiuit almo corporis velamine.
Quare & hanc putamus eſſe margaritam nobilem,
Quam bonus mercator olim, venditis rebus ſuis
Omnibus, tandem repertam comparaſſe proditur.
At negotiator ille quis foret nemo ambigit,
Nempe qui migrauit ad nos de patris ſinu abdito,
Vt ſalutis noſtrae obiret arduum negotium.
Vendidit porro ſuas res, quando ſe exinaniens
Induit mortale corpus ſumptum ab iſtac Virgine,
Nos ſuae vt velaret immortalitatis lumine.
O nimis felix relictis qui caducis reculis,
Hanc ſibi indagarit vnam gemmam inaeſtimabilem,
Hic erit profectò in aeuum diues, & ſuperfluens.
Sed puer giganticida germinalem ad palmulam
Praeſcius ſaecli futuri nos reuerti praemonet,
Hic vbi confert parenti praeuirentem filium.
Haud ſecus floreſcet, inquit, Iuſtus ille inſignior,
Atque palmae laeta planta, quae ſuis felicibus


Fron-

Frondibus ſemper vireſcit, fructibuſque exhuberat.
Hinc tibi palmata veſtis Imperator vnice
Chriſte texta, qua proteruis diſſipatis hoſtibus,
Hanc triumphans intuliſti caeli in amplam regiam.
Quam chori ſacri intuentes ciuium caeleſtium,
Quis (canunt) quis iſte, Idumes qui venit de finibus
Dux ſagum reſperſum amictus punica ſinopide?
Hocce erat ſcutum illud ardens, quo coronaſti tuum
Vnicum Pater ſupreme, vt dimicaret fortiter,
Vtque flictu acri petito peſtem ab orbe expelleret.
Hocce eum Pſaltes rogabat, hoc petebat cingier,
Incinens ſcutum capeſſe, ſcutum & ancile aureum,
Ac mihi ſuccurre preſſo, fer ſalutem perdito.



DE ARBORIS PVLCERRIMAE NOmine sanctae Virgini attributo. Leuit. 33.

Sumetisque vobis fructus arboris pulcerrimae.





VAM bene inter alia nomen huic quoq;
addunt virgini
Arboris semper virentis, conferuntque
floridae
Arbori, riuos aquarum quae secundum
consita
Porrigit fibras sequaceis ad fluores perpetes,
Nec verens ortum aestuosae torridum caniculae
Germinat secura, flores fundit, & fructum huberem.
Vnde visum laeta mulcet fronde delectabili,
Lassulisque amicam in aestu praebet vmbram feruido,
Et sapore blando amoenat frugis ora edentium.
Quippe virgo intenta legi, patrioque cultui
Corde sancta cogitare, sanctaque ore proloqui,
Et manu sollerti obire sancta quaeque munia.
Arboris nos imperabat sub figura vescier
Talis ille fruge opima emancipator Israel,
Quando eos promissam agebat nobilem in prouinciam.
Vos, ait, nouos colonos, quom potiri praedijs
Fecero, vostris spopondi quae bonis parentibus,
Tum mihi septem diebus feriari sancio.
Quippe messe iam peracta, iam noua vindemia,
Ferias edico sacras inchoandas protinus
Septimo de mense, in ipso nempe plenilunio.
Atque ne de mente vobis, neve vostris posteris
Incolas olim fuisse, & inquilinos excidat,
Moxque me domum reductos, patriamque vindice;
His volo diebus extra tecta commoremini

Sub-

Subdiales vmbra in vda frondium virentium,
Vnde & haec volgo vocabunt festa Scaenopegia.
Ac diem vt primorem agatis caeteris sollemnius,
Vltimumque edico cunctis, neve quisquam polluat
Publicae dictos quieti functione sordida.
Tum sibi in primo decorae quisque vestrum sumito
Arboris fructus, spathasque palmeas cum dactylis,
Addat ijs & plantae opacos perplicatae ramulos.
Addat & strictas salignas amne torrenti comas,
Et Deo coram his diebus vitam agat genialiter.
Quae quidem sunt sacra dicta intelligenda mystice.
Sunt enim istaec res peractae, suntque rerum symbola
Quando quidquid gestum ab illis omne perplexabile,
Nempe gestum, vt adplicetur rebus nostris gnariter:
Ergo quòd genti reductae finibus Canopicis
Sit dierum indicta festa septimo mense hebdomas,
Dum suis lucet repleta Noctiluca cornibus;
Id monet nos post labores saeculi aerumnabilis
In plagas laetas olympi aetate ductos septima
Corporum cum claritate gaudio in iugi fore.
Septimus nam mensis iste septimam aetatem indicat,
Floridae surrectionis, quando sextam ducimus
Hactenus mortali in aeuo cum caduco corpore.
Porro quina dena luna, nempe plenilunium,
Corporum dat claritatem, datque plenam gloriam,
Non vt ante diminutam semper, & mutabilem.
At diebus ducta septem sacra feriatio
Indicat laeta in quiete perpeti aeuo nos fore,
Numerus vniuersitatis quod patenter innuit.
Tum dierum denique horum primus, & nouissimus
In quiete sacra aguntur, quae vocatur sabbatum,
Quòd quiete cum perenni vita sanctis suppetet.
Nam dies per hosce ducta sabbato cum duplici
Circularem ducit orbem, conficitque circulum
Musicum, quo finis ipsi exordio coniungitur.

Primulo demum dierum, nempe festo sabbato,
Arboris fructum comesse praecipit pulcerrimae
E catasta vindicatis sordida Deus suis.
Tunc enim, tunc seruitute criminum, atque corporis
Perfruemur liberati Virginis fructu inclytae
Maxuma in tranquillitate florido ventre edito.
Fronduit qui more citri semper, atque floruit,
Protulit fructum salubrem, quo refecta saecula
Iam graui confecta senio pubuere denuo.
Scilicet rufum puellum pulcriorem sydere,
Et super cunctos decorum, quare ad instar sumitur
Citrini pomi nitentis, atque olentis suauiter.
Iussum ad haec eisdem Hebraeis, palmeos vt ramulos
Tollerent, victoriarum quae forent insignia.
Tunc enim decus coronae quisque victor auferet.
Sed quid est, quòd ijdem habere suaue olenteis myrteae
Arboris comas, & ima quòd salignas carpere
Imperantur valle frondis inrigatas flumine?
Anne id est quòd fructum acerbae colligemus tunc crucis?
Atque virtutum virenti vestiemur tegmine,
Nil deinde exhuberantum functionibus pijs?
Iamque nostram ad principalem dirigamus spicula
Arborem deprompta mente, non pharetra sutili,
Hanc petamus, quando vates tela nobis suggerit.
Nam volens spectatum in omni sorte virtutum virum,
Ac per id beatiorem caeteris ostendere,
Indoli istiusce confert praeferacis arboris.
Integer vir (inquit) almae deditus legi Dei
In modum plantae virescet, quae sata ad iugis aquas
Huberem foecunda fructum proprio edet tempore.
Huncce fructum ego esse duco Virginalis pectoris
Instituta pulcra, prolem sed magis mirabilem,
Edidit quam virgo, vt arbor foeta pomum nobile.
Hocce iactat compotita sponsa sacro in cantico:
Sedi, ait, sub eius vmbra, quem diu expetiueram,

Atque

Atque fructus eius exstat gutturi dulcis meo.
Hinc agit grates merenti sospes illi concio.
Tu clues tu praeter omnis virgo felicissuma,
Vescimur te fructu opimo perpetis vitae auspice.
Hoc pius vir integrascit, inualescitque indies,
Et noua floret iuuenta, ceu Paroemiographus
Adserit fructum esse iusti perpetis vitae arborem.
Quin eodem teste & ipsa planta vitae dicitur,
Atque eam si quis capessat, ac tenere quiuerit,
Hunc refert victurum in aeuum sempiternum alacriter.
Haec enim'st quae sub figura fruge vitae praedita
Exstitisse florulento planta in horto proditur,
Quem Deus plantasse in orbis fertur ipse exordio.
Haec eapse'st arbor illa mira, quam Rex persicus
Per quietem vidit olim, rettulitque interpreti
Somniorum perspicaci visionem edisserens.
Contuebar nocte, & ecce conspicor miram arborem
In medio terrae cacumen inserentem in aethera,
Maxuma proceritate, praeditamque robore.
Terminos haec pertinebat terrae ad orbis vltimos,
Adfatim foetu huberabat compta laetis frondibus.
Subter hanc ferae manebant, at super citae alites.
Haec erat Mariae imago, non profani Principis,
Quae sata in terrae vmbilico, nempe ventre ecclesiae,
Se exhibet cunctis paratam ferre opem indigentibus.
Altitudo porro talis arboris dat Virginis
Nobilem demissionem, & comitatis gratiam,
Quae cluet vera altitudo, summaque eminentia,
Planta quòd fortis feratur talis, atque ingens simul,
Indicat diae Mariae forte robur pectoris,
Copiamque caritatis, & benignae gratiae.
Quòd plagas terrae repleret vniuersas, delicat
Virginem genteis per omnis nomen almum extendere,
Vt suo has fructu beato, recreetque tegmine.
Quippe quos replet salubri fruge, eosdem protegit

Sedula defensione continenter, ne cremet
Iudicis post ira magni, nec gehennae incendium.
Quòd genus tandem omne subter belluarum degeret,
Et super pictae volucres arborem quiescerent,
Et suam inde pastionem, pabulumve carperent.
Indicat refectionem non modo inde excerpere
Qui vacant rebus supernis semper, & caelestibus;
Sed quoq; ij, qui terrae adhaerēt, brutū vti solet pecus.
Siue dic fuisse in istac vniuersorum cibum
Arbore alta, nempe Christum pabulum viuentium,
Pabulumque dormientium, & resurgentum simul.
Sed breui sermone ad alias transeamus arbores,
Virgini quarum adplicantur principi vocabula,
Et seramus nostrum amoena floridum sylua nemus.



DE

DE CEDRI NOMINE SANCTAE VIRgini attributo. Eccl. 24. Quasi cedrus exaltata sum in Libano.



EMPVS est cedrum canendi prominentem caeteris
Arborũ plãtis, & ipsi cõferẽdi virginẽ
Inclytam versu rotato, deinde & alias ordine.
Sicuti cedrus petessit fulua caeli sydera
Semper in sublime tendens; sic Mariae intentio
Ad Deum adspirauit omnis, atque cogitatio.
Ac velut situ acre lignum nescit imputrescere
Cedrinum perenne durans; sic Mariae integritas
Mansit inlibata semper, tabe nulla emarcuit.
Sicut illa exspirat auras nobilis fragrantiae
Planta late; sic Mariae singularis sanctitas,
Atque vita oppleuit orbem fama odoris optumi.
Quin vti fructum illa multis rebus edit vtilem,
Distinet cariem vetustam; sic Maria protulit
Omnibus partum salubrem, quo lues dira interit.
Cedrum item laetis virere tempus omne frondibus
Nouimus, nec Virgo plantae cedit hocce nomine,
Gratiae quae plena nullum sensit aestum criminis.
Sicut illa enodis, atque tereti recta stipite,
Sic fuit Virgo sine vllo recta culpae nodulo,
Recta, leuis planta ab ima ad vsque summum verticem.
Quid moror multis? amoenae se cedro met comparat.
En sum, ait, praelata cunctis clariori gloria,
Cedrus vt consurgit orta Libani in cacumine.
Haec profecto'st illa cedrus, qua creata'st altera
Matre maior, qua volucrum nidulantur millia,
Praepetesque pulli alescunt, insident que frondibus.
Id Sator caelestis olim per prophetam expresserat,
En capessam ego flagellum de cedro summum ardua,

Idque

Idque captum parte summa rite pangam denuo,
Scilicet stringam supremum turionem impuberem,
Omnis expertem laboris surculum tenerrumum,
Et super deponam odoram monte celso plantulam.
Monte sublimi intuentis hanc seram viri Deum,
Germinascet vixa fibris, ingrauescet fructibus,
Atque cedrus fiet ingens forti adulta stipite.
Tunc aues sub vmbra amoena conquiescent aduenae
Plurimae, nidosque ramis congerent felicibus,
Arbores scientque cunctae quae volo posse omnia.
Huc quoque adludebat illud vatis aenigma ipsius,
Libano plantata cedrus pulcra ramis inclytis,
Frondibusque ornata densis inter arbusta omnia
Sustulit clarum cacumen aucta plena ad flumina,
Libano depacta cedrus, Virgo nata in candida
Puritate virginali, & educata idemtidem.
Scribitur ramosa, & vndique ampla tendens brachia,
Prompta quòd sit vniuersos sancta Virgo amplectier,
Et piae protectionis confouere tegmine.
At virens coma innuebat frondium vernantium
Virginem conuestiendam multiformi gratia
Omnium virtutum, & omni sanctitatis munere.
Altitudo signat ingens inter arbusta edita
Virginem auctam dignitatis celsiore culmine,
Omnibusque praesidere coetibus caelestium.
Porro fontes plantae alumni legis almae paginae
Exstitere, & scripta vatum, sed magis melliflua
Verba gnati, quis rigabat vsque pectus sedulum.
Vnde ait Rex me introduxit propria in cellaria,
Et suae mihi reclusit scrinia sapientiae,
Quae prius nulli patebant mi retexit abdita.



DE

DE OLIVAE NOMINE SANCTAE Virgini attributo Eccle. 24. Quasi oliua speciosa in campis, &c.





EC sinam desyderari Diuae oliuam in hortulo
Nobili semper virentem, quando & ipsa dicitur
Pulcra oliua, propter eius arboris praestantiam.
Vnde oliuae sese apertis rite campis comparat
Consitae, suam patere semper indulgentiam
Innuens, opemque cunctis huberem poscentibus.
Est enim cunctis liquorem propriae profundere
Gratiae parata, cunctis ferre misericordiam:
Nec queri quisquam inuocatam defuisse habet sibi,
Nam velut latex oliuae caeteris supernatat,
Nescit vlli subsidere; sic & haec praenobilis
Obtinet virtus in alma principatum Virgine.
Orchiten negant virentem frigidissumis locis,
Pausiamve prouenire; sic vbi alma caritas,
Atque amor friget, Maria nil solet frugescere.
Haec oliua cassa numquam fronde, vel bacca exstitit.
Quippe vitae tempus omne continenter floruit.
Actibus, pijsque dictis brumae inertis inscia.
Huius aemulus prophetes incinebat hymnifer.
Impius scelus patrare perget; at virens ego,
Tamquam oliua in aede sacra pullulans fructum feram.
Ipsa laetae pacis index, pacti & auspex foederis
Patris inter numen alti, & inter humanum genus,
Ceu probat columba, in arcam termitem quae detulit.
Termes ortus ille oliua forma Christi Principis
Exstitit pacis datoris, arca sanctae curiae,

Mysti-

Mysticis purgandae in vndis, at columba Virginis.
Quae fuit puella felle cassa amarulentiae
Cassa felle tristis irae, cassa fastu turgido,
Gratia repleta tota, tota amore candido.
Quin oliua signum adeptae splendidum victoriae'st,
Inclytae testes Athenae, quae suis victoribus
Fronde de tali parabant dulce niceterium.
Nec modo alma insigne partae Virgo palmae effloruit,
Verùm & ipsa elisit hosteis, quae Ducem nostrũ edidit,
Qui truces nostrae salutis strauit aduersarios.
Hanc Mineruae ignara quondam gens sacrarunt arborem,
Virginali honore eamdem quòd vigere crederent,
Tale sed decus Mariae congruit, non Palladi.
Quòd feraci vero oliua stirpe pullos plurimos
Procreat, magnam Parentem dictat esse regiam
Virginem, vectam quadrigis non Opem lymphaticis.
Quippe in vno procreando filio Dei vnico,
Nos simul produxit omnis, atque adoptauit Deo,
Filij denominamur quotquot eius nomine.
Hac de oliua fluxit vnguen, delibutusque vnguine,
Atque aliptes magnus ille, nos athletas qui efficit,
Efficit Regesque sanctos, & sacerdotes simul.
Vnum adhuc peculiare restat huius arboris
Nobilis, tempus per omne quòd solet virescere,
Nec pili facit decembreis, & rigores ninguidos,
Sed viror quid iste praefert laureata in Virgine?
Illius fidem vigentem perstitisse immobilem,
Nec quidem arefactam atroci morte cari filij.
Scilicet quando vniuersa candidum perterrita
Destitutum turba fratrum liquit agnum deserens,
Immolandum pro salute perditarum gentium.
Quom crucis durae expetiuit immori sacro rogo
In patris primi vocato colle de caluaria,
Vt scelus mundi cruoris expiaret flumine.

DE CVPRESSI NOMINE SANCTAE Virgini attributo. Eccl. 24. Quasi Cypressus in monte Syon.





ED satis iam dixi oliuam, nunc cupressum concinam,
Quem fuisse mentiuntur nobilem puerculum,
Cui fuit perempta cerua causa acerbi funeris.
Occu pat sed nomen istuc rectius virgo inclyta,
Quipp e quae crudele funus interempti atrociter
Flebilis gnati immerentis moestula olim luxerit.
Et modo grauis ruinas, nostra probraque ingemit,
Quòd relicto Rege caeli nos vocante ad sydera,
Gloriamque sempiternam, mergimur sub tartarum.
Ergo iure luctuosae comparatur arbori
Virgo sancta, sed cupressus haec quoque apte dicitur
Inclytae quòd sanctitatis fert odorem amabilem.
Quin velut vermis cupressus enecat fragrantia,
Effugat tortos colubros; sic Maria tormina
Pectorum leuat nocentum, daemonasque exterminat.
Hanc ferunt numquam esse plantam obnoxiam teredini,
Esse fortem fasci iniquo obnitier, sic integra
Perstitit Virgo, nec vllis languit molestijs.
Siue quom vitans tyranni perfidi vesaniam
In Pharon descendit exsul cum tenello pignore,
Siue perpessa aegra multa iam reuersa in patriam.
Quin nec eius membra morte extabuere florida,
Tota sed syncera in altum subuolauit aethera,
Hic vbi Regina regnat sempiterna in gloria.
Iam comas tradunt periti, & galbulos cupressinos,
Corticemque miram habere vim medendo corpori,

Huberem praebereque vsum rebus alijs plurimis.
Sed Mariae cuncta verba fusa ab ore melleo,
Studia cuncta, gestus omnis, actus omnis denique,
Plena virtute exstitere, plenaque efficaciae.
Nec quidem proceritatem praeteriisse conuenit
Arboris sacrae, sub aethram quae cacumen porrigit,
Quando sese sponsa tali comparat fastigio.
Haud secus sublimis euasi (infit) ac molli in Syon
Prominet cliuo cupressi planta acuto vertice.
Quod quidem dictum esse constat omnibus verissumum.
Nam decus Diuae nitentis, gloria & ineffabilis
Fulgidum chorum antecellit ciuium caelestium,
Vincere vt solet cupressus celsa viburnum breue.



DE NARDI NOMINE SANCTAE Virgini attributo. Cant. 1. Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum, &c.





VNC vocor nardi pusillae nomen ad laudabile,
Quippe & hoc sibi Maria iure virgo vindicat,
Siue nardus ipsa dicta, siue virtus ipsius.
Porro suauis nominatur ipsa nardus, quatenus
Ex ea conflatur vnguen pingue, nostrum quod genus
Vitae odore recreauit, sanctitateque imbuit.
Ille erat Patris supremi singularis filius,
Qui sibi stirpem adplicatam nostram inunxit caelitus,
Quom semel se infudit aluo virginali primulum.
Id canit quoque ipsa sponsa principali in cantico,
O Pater transfusum oliuum nomen est sanctum tuum,
Patrio de corde manans in tuae ancillae sinum.
Hinc latini Regem inunctum dictitamus nomine
Atque cum graiis vocamus voce χριστὸν *graecula,*
At Palaestinis cluere מְשִׁיחַ *solet Syris.*
Sed frutex dic nardi olentis quam refert virtutē Herae,
Quemve morem, aut institutum, Musa dic mihi sacra,
Expedi quod possim & ipse caeteris expromere.
Indolem refert beatam, quae decore amabili
Mouit ad se diligendam, & eligendam ex omnibus,
Qui polum distinxit astris igneum micantibus.
Nam licet longe vigeret vna praestantissuma,
Atque summo digna honore, se tamen submissius
Omnibus gerebat, atque se aestimabat infimam.
Parua tali induxit arte Virgo Regem ex aethere
In suum sinum migrare, seque velo adcingier

Corporis sacro recepto virginali è corpore.
Nempe vti nardi videtur planta despicabilis
Caule curto, & stirpe pulla, frondibusque exilibus,
Sed tamen virtute odoris promeretur gratiam.
Sicque Virgo ignota volgo, cassa pompa saeculi
Hoc suo candore grata facta Regi caelitum
E sinu allexit paterno pignus eius vnicum.
Hoc quoque ipsa profiteri non veretur propalam.
Rex (ait) suo incubabat consueto in lectulo,
Quom mea adspirauit olli nardus auram amabilem.
Sicque Rex nardi esse coepit spicus huius mysticae,
Quando eum concepit expers coniugalis foederis.
Ediditque casta Virgo, roreque albo nutrijt.
Ipse enim conroborauit per fidem sensum virùm,
Excitauitque adpetitum spe boni incorruptilis,
Cordaque acri adcendit igne caritatis algida.
Sicque sublimata creuit Virgo super sydera:
Nam Deus sublimis humiles, supplicesque respicit,
Vsque adauget, at superbos deprimit sub tartara.
Sed frutex quom sit calentis iste naturae admodum,
Hoc calore clamat ipsam sancto amore feruidam,
Sicut idem paruitate dictat esse humillumam.
Quo minus mirari oportet, si in suum traxit sinum,
Quem medullis expetiuit omnibus mitem Deum:
Nam Deus probatur esse fons amoris totius.



DE MYRRAE NOMINE DIVINAE GEnitrici attributo. Eccl. 24. Quasi Myrra electa dedi suauitatem odoris, &c.





EC quidē potest latere causa cur se comparat
Diua myrrae virgo heoae. Nēpe quòd gratissimi
Iactet auram late odoris, sicut ipsa concinit.
Myrrae ego in morem probatae, stiriaeve stacteae
Spiro odorem passim amoenum, recreari quo queat
Omnis aeger, deque bustis mortui resurgere.
Hic odor vitalis, ipsa quem canit se emittere,
Fert eam spirare in orbem vim latentis gratiae,
Qua subit mentis profanas, sanctitateque imbuit.
Myrram item corruptioni nouimus contrariam,
Nec sinentem tabe olenti confici cadauera,
Sed suo incorrupta succo membra seruare oblita,
Sic genus mortale noxis iamdiu loetalibus
Suscitat virgo sepultum, putidumque denuo
Efficit vigere, fulcit, ne labascat, gratia.
Haud enim solum ipsa sancta'st, sed suorum pectora
Labibus polluta purgat, impiataque expiat
Deprecando oratione Regem olympi sedula.
Haec prius quàm germinaret smyrna sancta, dixerat
Illius germen futurum coetui caelestium;
Ipse myrrae montem adibo, thuris & collem sacrum.
Montem adire velle dixit myrreum Rex caelitum,
Nempe Matrem smyrnae habentē qualitates stacteae,
Et molestiarum aceruum cum caduco corpore.
Hanc adiuit Rex supernus quando consensum dedit
Virgo sancta Gabrieli, & se induit velamine

Lan-

Languidae mortalitatis, qui poli extendit domum.
Haud secus tentoriorum quàm solet pellem artifex,
Sed quid est suam parentem quòd vocat verruculam,
Siue collem thuris idem, nomine hocce delicat
Hanc Dei deuotioni dedicandam, & cultui,
Feruidasque orationes, ceu vaporem thureum,
Castaque emissuram ad astra vota, & ad sedem Dei.
Hancce myrram, quando in orbem veste seruili obtegi
Rex Olympi venit almus, messuisse se adserit.
Messui myrram meam (inquit) cum meis aromatis.
Messuitque exinde quando pertulit conuitia,
Pertulit grauis labores, atque amara verbera,
Et meae salutis ergò pertulit duram crucem.
Hinc suum praeclarum Amorem nuptiali in cantico
Fasciculum sibi esse factum sponsa cantat myrreum,
Qui suas inter papillas commoretur iugiter.
Fascem, ait, sibi esse factum virgo dilectum suum
Myrreum, conlectionem nempe amaritudinum,
Quam suis semper repostam ferret in praecordijs.
Vnde quis neget Mariam fortium priuarier
Martyrum palma, vicem quae non modo ipsa filij,
Sed suam quoque indolebat dura passa, & aspera?
Quin canens dilecti & huius sponsa labra mollia,
Haec rosis rubere amoenis, candicare lilijs
Adserit, primique distillare myrram nominis.
Namque flammam purpurantem caritatis igneae,
Et iubar regni albicantis praedicabat aetheris,
Atque macerationem contumacum sensuum.
Sponsi, ait, mi multum amati labra vernant lilijs,
Et rubris comis rosarum, funditantque liquidum
Adfatim Stactae liquorem de nota non vltima.



DE

DE PLATANI NOMINE EIDEM SANctae Genitrici attributo. Eccl. 24. Quasi Platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis.





NEC quia infoecunda surgit Platanus vndis adsita
Iugibus, debet putari deesse luco Virginis.
Quin adest adprima, laetisque ornat illum frondibus.
Sed quid hic formosa signat arbor istaec mystici?
Quid monet? si quis viator macerescit aestibus
Solis acris, si fatiscit longiori de via,
Hac reperta conquiescit vmbra opaca lassulus,
Artubusque recreatis sub patenti tegmine,
Damna defecti vigoris hic resarcit denuo.
Tale quid facit Mariae Virginis clementia,
Si retorridae laborat labe conscientiae
Quispiam, vitaeque iniquis angitur molestijs.
Ad fidemque huius Patronae, gratiamque confugit,
Anxiae praesens leuamen sentit aegrimoniae
Protinus, vigescit auctus duplici solatio.
Quàm bene ergo Virgo sancta pingitur complurics
Pallij sub tegmen amplum confouere plurimos,
Ceu solet gallina pullos subter alas nudulos.
Ergo sese iure platano comparauit caelibi
In plateis iuxta aquarum consitae vndas mobiles,
Quòd solet propinqua semper turbae adesse fluxili.
Inque vitia defluenti, pro sua clementia,
Est parata subuenire, lubricosque sistere;
Nam prope'st benigna cunctis rite se inuocantibus.
Quippe vti haec arbor tenella folia fert, & mollia,
Sicque nostra in nequiores Domina gestat viscera,

Hos iuuat factis benignis, atque dictis erudit.
Nec docet modo hosce ab alma veritate deuios,
Sed quoque instruebat ipsos voce docta Apostolos,
Quae sui seruabat acta, & dicta Gnati in pectore.
Ergo sublimata creuit propter vndas labileis,
In plateis ciuitatis, matris inquam Ecclesiae,
In magistris antedictis omnibus communibus.
Creuit ipsa dum procurat quidquid illis profore,
Ad salutem quidquid interesse norat omnium,
Et iubar vitale in omneis porrigebat sospita.
O nimis dilecta planta, quam Dei felix manus,
Omnibus perfugium vt esses, panxit auspicatius,
Me quoque obtentu beato seruolum tuum obtege.
Quo loco Regina plantis semet hisce comparat,
Hoc se ait fragrare cinnamomi odore, & balsami,
Galbani inuisae colubris, atque olentis styracis.
Ergo tu quaecumque scriptor quisque scite disserit
His super plantis reuolue diligenti examine,
Quae valentque hae sensu aperto mystico tu intellige.
Sic enim virtutem olere in his amandae Virginis
Suauiter mirandam, & altum filij decus sui
Senties non absque fructu industriae magno tuae.



DE ROSAE NOMINE SANCTAE VIRgini attributo. Eccl. 24. Quasi plantatio rosae in Hierico.





I queat sentire pulcer quisque flos decus suum,
Non suis praestare tantum se rosa vna cerneret
Dotibus, sed Virgo dicta quòd suo de nomine'st.
Haec rosa insigni colore'st blanda, suauique halitu,
Purpurascens caritate, puritate candicans,
Suauius spirans amomo, blandiusque balsamo.
Quae licet de noxiorum stirpe patrum prodijt,
Haud tamen contagem auiti sensit vllam germinis,
Sicuti nec sentis vllum sentit ictum flos rosae.
Mentiar, ni teste vero comprobem, quod dixerim.
Ceu rosa, inquit, laeta spinas vernat inter hispidas,
Emicat sic inter alias nostra amica filias.
Quin velut de senticeto flos rosae exit aspero
Delicatus, atque mollis tactu, ita ipsa floruit
Hispida de gente tota suauis, ac tractabilis.
Sin lubet tute experire, quom premit necessitas,
Quae sit Annae lenitudo, comitasque filiae,
Protinus me vera compos comprobabis dicere.
Nemo opem deposcit eius, nemo ad ipsam confugit
Propriae salutis anceps, quin leuamen sentiat,
Seu malis iactetur intus, seu foris periculis.
Hinc monent nos sponsi amici flagitare opem illius,
Scilicet quater rogantes. שׁוּלַמִּית *reuertere,*
Ab reuise nos misellos, intuendam te exhibe.
Sulamith quom sit vocamen pacis, atque idem sonet
Insimul perfectionem, competit planissume

 Virgini,

Virgini, perfecta pacis quae datorem protulit.
At quater precantur illam suggerentes quatuor
Principes causas, benigna quis moueri debeat
Ad ferendum destitutis Diua opem terrae incolis.
Prima quòd sit orta nostra stirpe & ipsa humanitus,
Vt nihil cognatione mutua efficacius
Vrget ad genus tuendum, & proprios domesticos.
Nam licet caelestis illam gloriae fastigium
Subtrahat nobis in ima sede demorantibus,
Ceu tamen sibi propinquam quisque fidat adfore.
Supplicant ergo Mariae, quo velit propensius
Insito naturae adesse more nostris casibus,
Compotesque posse voti sic fore omnes innuunt.
Hanc secundo hortantur ijdem, ne abnuat reuisere,
Regioque more turbam supplicem defendere,
Quo suos debent potentes contueri subditos.
Huic enim data'st potestas, ac facultas omnium
Siue in orbe terrae, & aethra, siue in orco lurido,
Vt queat Regina olympi quod lubet cumque exsequi.
Tertio vt dextram benignam porrigat lapsantibus
Flagitant diuini amoris per suaue incendium,
Aestuantis continenter virginali in pectore.
Nam si amor Deus probatur esse flagrantissimus,
Igneique fons amoris, ambigendum nemini est,
Quin & ipsa amore flagret tota plena numine.
Vnde & hanc sponsus supernus nuptiali in cantico
Vnicam sponsam vocandam caritatis nomine
Censuit, peculiare quod Dei esse nouimus.
Quippe tota amore flagrat, tota melle suauior
Spiritum gerit suaui suauiorem nectare,
Tota mitis, tota leni comitate amabilis.
Quisquis ad mitis Mariae confugit clementiam
Tristibus iactatus vndis, & malorum turbine,
Protinus sentit leuamen maximo in discrimine.
Semper hic felix patescit omnibus portus sacer,

Semper

Semper excipit misellos, sospitatque naufragos,
Qui putabant se perisse sub profundo gurgite.
Ergo & hocce sponsi amici nomine almae quaesitant,
Ac fidem implorant patronae perbenigne impendere
Quidquid & prodesse censet, ad salutemque adtinet.
Vltimo obtestantur ipsam subuenire egentibus
Gratiam per singularem, qua beata ex omnibus
Est parens effecta summi Regis vna milibus.
Qua simul quoque ipsa nostri dicta mater omnium;
Nam pium gignendo Regem sospitem mortalium,
Gentium castis cateruas virgo fudit ilibus.
Ergo cui thesaurus omnis gratiarum creditur,
Quantus est Dei, valetque quae volet cumque omnia.
Quid moramur supplicare nostra in aegritudine?
Quis nam enim magis tueri nos queat caelestium,
Quis molestijs leuare, cladibus defendere,
Quàm Dei benigna mater diues omnium munerum?
Talibus sponsi sodales expetunt sentiscere
Nostrae Herae causis fauorem vitae in huius turbine,
Quando ter quaterque dicunt Sulamith reuertere.
Conferunt alae supernae candidae ortum Virginis
Huius Aurorae rosanti, mane quom freto emicat,
At vetus flori sacerdos contulit rosaceo.
Haud secus puella herilis, ac rosarum prodiet
Flos rubens vernis diebus, quando Aedon saltibus
Insidens dulceis querelas integrat reconditis.
Hanc item subuectam ad astra inducit almo numini
Gratulantem voce tali, ceu rosa exaltata sum
Nata in hortis Lunae habentis nomen vrbis mollibus.
Nata in hortis lunae amoena quid rosa aliud innuit,
Quàm puellam, virginali quae nitore candicans
Purpurascit per dolorem volnerati pectoris?
Quippe prole sauciata corpus omne atrociter,
Mater est confossa acuto cor doloris spiculo,
Ac rosae duxit ruborem filij de sanguine.

Nec roſam velim latere dici amoris floſculum,
 Dici ἄγαλμάτ' ἦρος ἁβροῦ voce Graia inſigniter,
 Pulcrius quòd ornet vna, verque reddat laetius.
Proin cluet Regina florum nobilis vernantium,
 Floreis ſceptris potiri propter auguſtum decus
 Inſitae formae micantis caeteris venuſtius.
Nam velut Reges amicti veſte fulgent punica,
 Sic & haec colore rubro purpurai gloriam
 Aemulans dictat Mariam virginum eſſe antiſtitem.
Caeteri florum comantum caeteras praeſtabiles
 Virgines ferunt, ſed omnium flos roſae pulcerrimus
 Indicat cunctis Mariam praenitere millibus.
Iure dicit ergo ſponſus illius deſyderans
 Intueri formae honorem, ſponſa ſodes regia
 Mi tui voltus reuela luculentam gratiam,
Nos quoque adſpectum benignae geſtientes viſere
 Virginis clamamus, illa gratioſa lumina,
 Et pios conuerte ocellos ad miſellos exſules.
Inde Myſtis viſum vt eſſet caritatis σύμβολον,
 Quòd velut praeſtare cunctis haec videtur floribus,
 Caeteris ſic antecellit caritas virtutibus.
Quàm bene ergo Diua geſtat flammeae nomen roſae,
 Quae rubet non ſolum amoris ipſa ſancti incendio,
 Verùm & ipſum ſempiterni fontem amoris protulit.
Hunc (rear) propter ruborem nuptiali in cantico
 Ipſius genae decentes comparantur fragmini
 Punici mali, labella pulcra vittae coccinae.
Flos roſae Sabaeum odorem ſpirat in ſacra atria,
 Quom ſolemus cingere aras lucibus ſollemnibus
 Annuo de more ſertis, atque verbenis ſacris.
At Mariae blando odore quid queat iucundius
 Inueniri, cui ſodales dictitant in canticis.
 In tui vnguenti ſuauem currimus fragrantiam?
Ceu roſae Soli coorto proprium flos muricem
 Explicat, ſic Virgo Soli ſe aequitatis protulit,

Et suum expandit decorem, quando consensum dedit.
Quando fudit ore roseo fulgido internuncio
Sacrosanctae Ternionis, praestolor facessere
Iussa Patris, iamque fiat quod mihi denuncias.
Nec quidem illud negligendum censeo, quòd proditur
Punicae rosae virere plantulam felicius
Debita translatione, & vstione congrua.
Patrijs nam Virgo ab oris, patrijsque sedibus
Cum suo translata flore ad nationes exteras,
Spiritus sancti igne flagrans pullulat feracius.
Adde quòd flos virginalis ob ruborem dicitur
Nobilem, nam casta pusa de leui tinguit genas,
Siue facta obscoena cernat, siue verba inaudiat.
Adde item morbis mederi quòd solet quàm plurimis,
Enecat quòd forti odore insecta quaedam vilia,
Et colubros tortuosos effugat fragrantia.
Nec velim me continenter talibus reposcier
Explicandis immorari, quippe ineptum, & putidum
Caeteros damnasse velle tarditatis frigidae.
Proinde tu suppleto mente, si qua omitto, sedula,
Interim nos prosequemur institutum alacriter
Hymni iter portum volantes Diua ad optatum auspice.
Symbola alia ponit antedictus auctor nobilis,
Virginis nos sanctae adhortans instituta subsequi,
Aureos moresque sacri pectoris capessere.
Taleque orsus carmen edit. Dicta nostra percipe
Auribus diuina pubes, ac velut rosa adsita
Lympidis, vernate, lymphis, fructum habete iugiter.
Vos amoenos longè odores, atque latè emittite,
Thuris arbos quos fuerit, nec secus quàm argenteum
Lilium verno renidet tempore, efflorescite.



DE

DE LILII NOMINE REGINAE VIRginum attributo Cant.II. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.





ILII liquet quoque Almam nuncupari nomine,
Idque iure expoſcit eius ſi quod aliud indoles,
Siue eam ſpectes ſeorſim ,ſiue gnati compotem.
Namque floris candor huius integelli corporis,
Pectoriſque puritati congruit planiſſume,
Nulla quoi peccati adhaeſit inſidens labecula.
Nam velut flos iſte candet intus,atque extrinſecus
Inſimul,ſic flore ſemper intimae innocentiae,
Extimaeque integritatis Virgo ſancta floruit.
Tale fertur obtuliſſe fortis illi Gabriel
Lilium, quando puellae nuntium auſpicabile
Adtulit. Salue ò repleta gratia,tecum Deus.
Id tulit (ſi fama vera'ſt) innuens Eccleſiae
Floruiſſe primam in horto, primulumque maxumo
Principi Deo pudoris obtuliſſe lilium.
Nam velut noui alma proles foederis roſa exſtitit
Per necis perpeſſionem prima,ſic primum parens
Lilium per caſtitatis canduit votum aureae.
Proinde fertur de pudica virginum propagine,
Vos velut,diuina pubes,lilium floreſcite.
Candidae mores Mariae ſcilicet ſectamini.
Lilium vidit propheta tale,quando protulit
Iam renideſcet recenti terra cultu ſqualida,
Vaſta pulcrum ſolitudo germinabit lilium.
Porro odoris dulcis aura,qua rigatur hortulus
Lilio vernans comanti, conuenit caeleſtibus

Mori-

Moribus Diuae eruditum queis renidet ſaeculum.
Tum crocum rubens, & aurum, calatho quod procreſcere
Cernitur, ſceptrique virga, pullulaſſe ex virgine
Denotat diuino honore prolem, & auctam regio-
Seu crocum, decuſque ſceptri virginem incandeſcere
Dictat igne ſancti amoris intimis praecordijs,
Regnũ adeptã caeli, & orbis terrae, & immenſi maris.
Nec quidem bis terna grana, queis crocus diſtinguitur,
Autumem nequicquam oriri, ſed referre treis modos,
Cum ſuis cauſis, amabat Virgo queis magnum Deum.
Lilij radix ſub ima fixa terrae'ſt virginis
Inclytae fides tenacis nixa fibris pectoris,
Nam fides fundamen omnis exſtat vna gratiae.
Inde thyrſus ſurgit altus, & rubor croci inſuper
Aureus, bonis quòd olli certa de caeleſtibus
Spes adeſſet poſſidendis, atque duplex caritas.
Ac velut ſuum ille ſurſum corculum vorſum erigit
Candidus flos parte ſumma virgulae aptum regiae,
Sic ſuum caelo inferebat ſancta terrae extranea.
Nam licet colona terrae veſceretur munere,
Mens tamen ſublimis eminebat orbe terreo,
Caelitumque ales petebat dia contubernia.
Cuncta quae relata ſponſus vnica ſententia
Expedit, dumeta vt inter vernat album lilium,
Filias ſic floret inter noſtra amica caeteras.
Hic vocat ſe ſponſus album lilium, at verpos vepres
Hiſpidos, quos inter agnus vt lupos, verſatus eſt,
In crucem qui ſuſtulerunt innocentem immaniter.
Idem & almae tali honorat matris aluum carmine.
Virgo, ait, tuam beatam dico aceruum tritici
Liliorum ſaeptam odoris fertilem aluum ſertulis.
Dicit aluum vallo obiri lilij multiplicis,
Amplius quòd caſtitatis ſimplici fulſit vice,
Triplici ſed vna ſerto ſemet exornauerit.
Siue cinctam dicit aluum lilijs, quòd perpetim

Ante

Ante partum Virgo mansit, mansit in partu integra,
Atque post signata partum labis expers perstitit.
Nunc venit mi in mentem & aliud, posse dici lilia
Caelitum sacram cateruam, candidumque exercitum,
Qui frequens vallabat almam virginem plenam Deo.
Bis triceni Salomonis floridum, inquit, ambiunt
Lectulum, delecta ab omni gente pubes Israel,
Ensibus cincti coruscis, arte docti bellica.
Tritici quòd porro aceruum dicit aluum Virginis,
Innuit complendam ab ipso. quippe & idem tritici
Se vocat granum, atque panem, quo perennè viuitur.
Nescit interire in aeuum rite qui tali dape
Vescitur, pubescit vsque pastus almo nectare,
Et veternosum senectae ridet aetatis situm.
Nam licet dumtaxat vnum oppleuit aluum virginis
Tritici granum, sed illud pullulauit largiter,
Et seges coorta ab ipso'st, atque aceruus dapsilis.
Quin reor sinum vocari mentis aluum Virginis
Posse, quo dicta ingerebat sacra, aceruum tritici
Ipsa dicta, queis alebat semet, & suum gregem.
Siue lilia dicit esse castitatem corporis,
Atque mentis, quam professa Virgo, dilectus mihi,
Ast ego illi, cantat, inter pascitur qui lilia.
Scibam (ait) caput pudoris summum amare lilia,
Et libenter pasci in illis, en ego olli lilia
Obfero casti pudoris bina, in illis pascitor.
Nec pio sensu euagari posse quemquam existumem,
Pectoris si vota pura, candidisque adfectibus
Florida studia explicassit antedicta lilia.
Hocce erat caeleste nectar, quo solebat pascier,
Hoc magis magis teneri, copularique vniter
Sponsae amatae sponsus almus nodo inenodabili.
Quin suas manus pudicas dictitasse lilia·
Quis neget posse, inter infans quas solebat pascier
Ille caelestis, liquorem dum trahebat huberum?
Has

Has manus pares fuisse crederem sponsi sui,
Scilicet torno politas, expeditasque vsibus,
Caerulis plenas hyacinthis, vsibus caelestibus.
Lilium sublime folia tollit alto stipite,
Verùm idem illa mox repandat, indicans hanc Virginē
Dotibus pollere summis, sed nihil se pendere.
Nam licet de stirpe Diua pullulasset regia,
Abraham de gente clara, de tribu primaria,
Se tamen vilem putabat, nulliusque nominis.
Nulla corporis venusti dos, nec vlla gratia,
Nulla virtus singularis mentis obliuiscier
Virginem fecisse quiuit nobilem modestiam.
Quòd fuant porro ipsa flori sena liliaceo
Cuilibet folia, indicantur sex modi primarij,
Queis docet sacrum pudorem virgines tutarier.
Quòd si ais signare folia sena sex sententias,
virginisque sena verba, quae profata proditur,
Neutiquam fereris auctor vanus, atque futilis.
Cum Giganteo locuta scribitur bis nuncio,
Bisque item fecisse verba prole cum melliflua,
Cum ministris nuptiarum, cumque anu graui semel.
Nec sinam neglectum abisse quòd sacrarum interpretes
Asserunt rerum inueniri lilij triplex genus,
Liliumque templi, & horti, & lilium conuallium.
His tribusque delicari Virginem aiunt inclytam,
Lilium templi fuisse propter intentae in Deum
Mentis excessum, & supernis ruminandis deditae.
Lilium seclusum in horto, propter intactum decus
Corporis, cordisque casti, lilium conuallium
Denique ob submissionis singularem gratiam.
Inde factum vt complaceret omnibus communiter:
Nam Deo iucunda seorsum dia contemplatio
Illius fuit, Deus si mente pura tangitur.
Tum choris caeli coruscis virginalem ob gloriam
Haec fuit cordi, sed aegris amplius mortalibus,

Comitatem propter imam, qua misellis subuenit.
Numquam enim frustra inuocatur, vniuersis se exhibet
Indigis opis parata semper auxiliarier,
Supplicum votis benignas semper aureis adplicat.
Nam licet cuncti supernae ciuitatis incolae
Vsque sint nostris parati subuenire angustijs,
Nos solet tamen iuuare caeteris haec promptius.
Quippe quae propensiori mente, vti mater pia,
Expetit nostram salutem caeteris caelestibus,
Tota quae feruore flagrat spiritalis numinis.



DE

DE VITIS NOMINE SACRAE VIRGINI attributo. Eccl. 24. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis, &c.





HAEC quoque illa'st alma vitis, qua propago nobilis,
Atque tradux ducta vernat matre maior, palmites
Quae suos extendit oras vsque in orbis vltimas.
Sed quis hanc panxit propagem, nobilemve traducem,
Quae suis ornauit orbem terrae amoenis pampinis,
Et dedit mustum salubre, quo vigescunt mortui?
Scilicet matricem & ipsam qui prius conseuerat,
Vinitor, parensque Verbi, quippe & ipse filius
Nuncupat Patrem satorem, seque vitem fertilem.
Is tulit merum cruorem, misso ab aethere ipsius
Spiritu, Matris feracis, & sui cum sensibus
Integris compegit almum filij corpusculum.
Quin parens quoque ipsa tradux, & propago in paginis
Dicitur sacris, fidelis stirpe quae ducta Abraham
De vetusta Patriarchae fruge pulcra pubuit.
Huc facit quoque illa ab imo ducta corde oratio.
Ah Deus reuerte sodes, agminum caelestium
Imperator, respice altis aetheris de sedibus.
Iam reuise ferro, & igni vineam accisam fero,
Ac prope erutam propagem stirpitus, quam dextera
Seueras tua, reuise pignus adscitum tibi.
Ah manus tua adsit alma dexterae tuae viro,
Quem tibi adsciuisti amore summe princeps patrio.
Is licet nostra sit ortus gente filius hominis.
Hunc locum si diligenti mente perscrutabere,

Litterae ſub inuolucro, qui latebat, duplici
Dite theſauro reperto te beari ſenties.
Sentieſque ſacram ab oris vineam Memphiticis,
Quam Deus quondam reuexit, protuliſſe traducem,
Quae tulit germen beatum, quo vigeſcunt ſaecula.
Ac tibi vt leuem laborem quaeritandi, percipe
Huncce theſaurum euolutum, quo queas diteſcere,
Scilicet Parentem herilem cum ſua prole inclyta.
Haec enim tradux vocatur Virgo, quòd traducta ſit
Ex Hebraea gente, vt ante populus Aegypto ſuus,
In coloniam piorum cum ſuo Gnato vnico.
Nempe quem vates ſonanti concelebrat nablio
Dexterae virum vocando, & noſtri alumnũ ſanguinis,
Quòd Patri adſidet ſupremo membra noſtra geſtitans.
Hic enim propagis huius palmes exſtat floridus,
Vineae rubens racemus, quam volebant perditam
Impij, ne pullulare vita poſſet indidem.
Quippe & haec vitis ſacrata nuptiali in carmine
Proprium pignus recemum, ſiue botrum dictitat.
Eſt meus dilectus (inquit) Cyprius botrus mihi.
Nec nouum debet videri, ſi ante adulta dicitur,
Quàm ſata in Parentis aruo, quippe vates perſpicax
Hanc, prius quàm gigneretur, iam videbat editam.
O nimis felix repertam qui ſibi adſeruauerit
Hanc Dei matricem amandam, nam repertor ipſius
Repperit vitam, & ſalutis nectar haurit perpetis.
Iſtius vitis propheta cantat excelſum decus,
Fulgidis qui vidit alis quadriformes belluas,
Et rotarum vidit illud inuolucrum viuidum.
Creuit (inquit) illa frondes inter euecta arduas,
Brachia extendens opaca, fertileſque palmites,
Et ſuum conſpexit augmen pullulantis vndique.
Hic mihi frondes phalangas accipe immortalium,
Quae virent caeleſti in horto, quas ſuper Virgo eminet
Omnibus praelata, cedrus celſa vt inter arbutos.
Iſtius

Istius dilucet almae vitis excellentia,
Quòd secundum humanitatem filius magni Dei
Est suae dignatus esse matris omnia similis.
Quare & hanc talem creauit quatenus verus Deus,
Conditorque, qualis ipse cum parente creuerat
Pullulare, & esse in orbe corporis compage homo.
Sic enim de matre sancta, deque nato dicitur
Per prophetam magnum Osee. Laeta vitis Israel,
Fructus exaequatur illi pube pulcer incluta.
Viteas sed conferamus qualitates Virgini,
Ceu suis villas, & agros vitis ornat crinibus,
Atque laesos Solis acris spiculis refrigerat.
Sic Maria conuenustat proprijs ecclesiam
Gratijs, facesque sedat pectorum aestuantium,
Et malorum tristi ab aestu recreat retorridos.
Putidas odit paludes vitis, & stagna humida,
Adpetit colleis apricos, & supinos cliuolos,
Inde fert miteis racemos, & meri florem optumi.
Morem item secuta talem nostra vitis claruit.
Quippe & ipsa luxum aquosae abominans lasciuiae
Sole flagranti expetebat mentium incalescere.
Vnde vinum, vt ipsa cantat, dulce Dilecto obtulit,
Obtulit vinum, quod ipsum fecit obliuiscier
Criminum nefariorum suaui amore inebrians.
Quin velut vitis salubri florum odore conficit
Anguium vim tortuosam, virus atrum mitigat,
Diua sic motum impudicum reprimebat omnium.
Caeterae pulcrae intuentum feruidum solent iecur
Lubrico inritare voltu, sed Mariae gratiam
Intuens quisque exsuebat improbam proteruiam.
Nam licet decore cunctas iret ante foeminas,
Quaeque sunt, & quae fuere, & quae futurae in posterũ
Haud tamen fuisse fertur concupita à quopiam.
Tanta enim insidebat eius corde castimonia,
Tanta honestas gestu in omni, & moribus modestia,

Vt

Vt virùm sese intuentum virus omne exstingueret.
Tyndaris voltu solebat obuios lacessere,
Atque bellum excire caecum, sed Maria concitum
Mitigabat, & tumultum temperabat pectorum.
Ceu capras, hircosque olentis vitis inuisos habet,
Quòd petant se morsu amaro, Virgo ita odit foetidae,
Qui sacrum laeduut pudorem, deditos lubidini.
Militum quatit flagello primipilus viteo
Terga ductor emanentum, nostra item è viticula
Claua fit nodosa, tetros qua lares compescimus.
Vt vepreis vitis perosa'st, atque dumos hispidos, (ges,
Quodq; se, & fructũ male angãt, sic malignanteis gre-
Quodq; se, gnatumq; vexent, Alma abhorret, ac fugit.
Quin parens iucunditatis laeta vitis dicitur;
Nam merum geniale gignit, sed Mariam id amplius
Addecet nomen, datorem quae profudit gaudij.
Quòd medulla multa abundet, quodque lenta, ac vitilis
Pullulet natura vitis, lenitatem intelligi,
Virginisque comitatem, datque obedientiam.
Vt ferat fructum feraci laeta vitis palmite,
Haeret vlmo nixa forti, destituta coniuge
Pessum abit, nullũque fructum parturit, nullũque alit.
Sic Maria adhaesit almo, ne labaret, numini,
Vitis instar, atque flores inde suaueis protulit,
Protulit fructum vniuersis sospitalem gentibus.
Haec enim ipsa est illa vitis, quae se odoris praedicat
Protulisse suauitatem, roscidosque flosculos
Adserit fructum esse honoris, atque honestatis suos.
Hanc bonam produxe vitem credimus fragrantiam,
Flosculisque auctam gemellis, quando natum nixibus
Edidit formosum habentem diuum, & humanũ genus.
Ipse enim vitali odore impleuit orbis moenia,
Instar vnguenti refusi per domus amplae atria,
In sacris elatriatum dictus vnguen canticis.
Proprios porro hosce flores propter excellentiam,

Atque

Atque opum propter nitorem mysticam vitem autumo
Fructum honestatis vocasse, splendidaeque gloriae.
Siue flores multiformeis dicit ipsum vnicum,
Omnium quòd florum honores ipse solus continet:
Candidae nam gestat in se castitatis lilium,
Gestat & crocum rubentem caritatis igneae,
Et rosam perpessionis purpurantem sanguine,
Caeterisque ornatur idem flosculorum gemmulis.
Quòd simul demum hosce flores gloriae fructum adserit,
Copiaeque ditis esse, filium suum innuit
Splendidum decus tulisse saeculis, verasque opes.
Caeterum quantum iste fructus omnibus praepolleat
Fructibus, rebusque caris, plurimi quas pendimus,
Id palam parens profatur vniuersis gentibus
Optime vna gnara quanti sit preti foetus suus:
Longè, ait, gemmis, & auro praenitet fuluo meus
Fructus, argentoque multo nostra praestant germina.
His tribus, mortale saeclum queis honeste comitur,
Proprium multo ante partum dicit ire, quòd siet
Ad genus nostrum excolendum caeteris pollentior.
Quin valor flauenti in auro maxumus perpenditur,
Nobilis vis in lapillis, certaque efficacia,
Claritas demum in metallo luculenta argenteo.
Ergo in his pretiositatem expendito substantiae,
Atque virtutem efficacem, & nominis clarum decus,
Queis tribus mundana constat, seque iactat gloria.
Verùm & his decentius nos fructus ornat Virginis,
Nam pretium dat caritatis, datque robur pectoris,
Efficitque insigniori nos vigere gloria.
Ergo verant scripta prisca, quae canunt fructum omnibus
Huncce rebus praeferendum, nec pote exoptabile
Eius aestimationi quidpiam conferrier.
Ipsa adest testis locuples nunc meae sententiae.
Quisquis, inquit, me inuenire, meque habere quiuerit,
Is profecto vitam habebit, & salutem perpetem.

Nam

Nam solet suos ministros munerari hoc praemio,
Sedulo sibi obsequentis, vnde rite pingitur
Brachijs complexa castis pusionem amabilem.
Innuunt hoc signo habere, quo suos remuneret,
Praemium Diuam nitentem sedulos clientulos,
Scilicet prolem beatam, diuitem omnis gratiae.
Proinde quisquis esse felix volt, sub huius conferat
Ocyus se vitis vmbram, fertileisque palmites:
Nam sine hac nulli licebit tale munus consequi.
Flosculos quidam hosce dicunt Virginis multiplices
Esse virtutum nitores, huberesque gratias,
Nec quidam à scopo vagantur veritatis auij.
Quòd suos porro esse flores fructu honoris adserit,
Atque honestatis refertos, actuosas indicat
Hasce virtutes habere, non inerteis otio.
Hac sacra de vite & illud quis negassit dicier?
En tua vxor fida, ritu fertilis viticulae,
In tuae domus abunde pullulascit atrijs.
Haud enim vmquam effoeta torpet, aut fatiscit partubus,
Sed Dei plantata in aede planta felicissuma
Pignorum aut nouella gignit, aut alit mox edita.
Nec queam illud transilire, sicca quòd vitis licet
Pareat bruma rigenti, vere vernat attamen,
Et repullulante fructum fert nitentem palmite.
Sic quoque haec puella sancta, quom foret virgo integra,
Siccaque adpareret extra, germinauit tempore
Attamen suo, salubremque omnibus fructum adtulit.
Vnde & hanc antiqui Aronis virga designauerat,
Quae licet matrice dudum iam recisa, & arida,
Fronduit floresque fudit, protulitque amygdalas.
Nam velut resecta virga posta sub tentorio
Foederis sola inter omnis pullulauit virgulas,
Cumque opaca fronde fructum foeta fudit huberem.
Sic Maria sub patenti sola caeli tegmine,
Extimo satu remoto virgo gignit filium,

Qui tribus notescit vnus hisce rerum symbolis.
Laeta frons dictus, quòd aestu nos malorum protegat,
Flos quòd adspectu suaui, quodque odore recreet,
Fructus idem, quòd salubri nos sapore nutriat.
Fructus (inquam) delitescens sub gemello cortice,
Qualis in repullulanti creuit ortus virgula,
Nostra is est natura amictum duplici Verbum Patris.
Hunc diu perculsa amoris sponsa sancti volnere,
Sponsa, quae mox parturiuit pignus ipsum amabile,
Concinit se concupisse, factam & eius compotem.
Tandem, ait, consedi in vmbrae laeta amoeno tegmine,
Sedi in vmbra sponsi amati, moesta suspiraueram
Quem diu, fructumque carpo dulcem auenti frumine.
Vmbra erat desyderati sancta gnati humanitas,
Quem videre gestiebat velo opertum corporis,
Et salutis ferre mundo munus exoptabile.
Gestiebat regna mortis destruentem cernere,
Et situ veterni auiti, & sordida rubigine
Mentibus depulsa, agentem saeculum rursum aureum.
Quin velut recisa pridem matre laeta amygdala
Fertili foecunda fruge florulenta virgula
Indicat delectum ab omni plebe Hebraeum praesulem.
Sic carens taeda iugali virgo, & expers omnibus,
Edito foetu sacrato, sempiternum Antistitem
Delicat terris creatum, cuncta qui mala expiet.
Nec vacat, simul quòd hisce virga vernarit tribus,
Sed dabat gignendum ab ipsa germinali virgine
Filium numen gerentem, corpus, atque spiritum.
Haud enim caro puellae creuit aluo informiter
Primitus cruore alenda menstruali, vt caeteris,
Sed simul cunctis refulsit pulcer infans partibus.
Nec vetem virgae virorem si datam quis Virgini
vim putet gignundi, at albos flosculos, foetum autumet
ventris esse, partionem fructum opimum denique.
Queis decus non solum honestae non ademptum'st virgini,

Sed magis magisque adauctum maxumo cum foenore,
Sicut arboris venustae talia ornant stipitem.
Quam bene ergo Diua gestat nomen huius arboris,
Quae Deo florem pudoris omnium prima obtulit,
Sicut illa flore candet caeteris maturius.
Nam vouere virginale'st ausa prima lilium
Principi Deo sine vllo patrio exemplo prior,
Praeuia huius instituti facta cunctis posteris.
Ergo iure praedicatur Virgo primiceria,
Virginum Antistes nitentum, gemma prima virginum,
Quae Deo obtulit pudoris prima florem amabilem.
Nec modo illa virga florens delibuti flaminis,
Verùm & eius picta abolla denotabat Virginem,
Curioque magnus illa comptus eius filium.
Ille enim verus sacerdos solus exstat omnium,
Qui suo cruore sancto, non bouillo crimina
Noxij deleuit orbis iura frangens Tartari.
Hanc tulit summus sacerdos, maxumusque pontifex,
Quom sibi velamen almi comparauit corporis
In sinum lapsus puellae magnus orbis conditor.
Hanc rubro fulsisse cocco scripta produnt mystica,
Purpura bis tincta, & auro, byssinoque stamine,
Ordine intextis quaterno gemmeis nitoribus.
Hic erat vernans topazus, hic smaragdus lucidus,
Hic pyropi fulgor ardens, atque iaspis caerulus,
Hic achates multiformis, cum rubenti sardio.
His onyx accessit apto dictus vnguis nomine,
Aureus dictus lapillus, atque sapphiri lepos,
Caeterique ibi relati treis peraeque nobiles.
Quae quidem cuncta indicabant Virginis praestantiam,
Floridae mentis decorem, floridique corporis:
Vnde caelestis sacerdos pallium sibi adsuit.
Hac crucis conscendit aram veste tectus splendida,
Et salutarem profudit immolatus sanguinem
Idem & hostia, & sacerdos, idē homo, atque idē Deus.

Hac

Hac quoque extinctus reuixit moesta busta deserens,
Quem licet iam captum haberet mors amara innoxiū,
Haud tamen quiuit tenere, sed resumpto corpore,
Mox reuixit morte victa, & expiatis saeculis,
Sicque Rex trucem draconem dena habentem cornua,
De tribus qui cauda adunca traxit vnam partibus
Syderum polo, nigranti victum adegit tartaro;
Sic leonem rugientem, deuorantemque indies
Tot animas, quot versat aequor vasto arenas littore,
Perculit cruce efficaci, & praedam ademit faucibus,
Cerberumque sic trifaucem Mortis intrans limina
Insito vigore pollens vinxit, & coercuit
Igneis ferum cathenis, spolia opimaque abstulit;
Sic in astra gloriosus euolauit denuo,
Adsidetque Patri amato dexter haerens compari.
Sic suo dilecto habenas filio contradidit
Post triumphum passionis omnium rerum Pater,
Posset vt moliri vbique quidquid ipse creuerit.
Iam mihi (inquit) est potestas summa rerum tradita,
Quae vigent in orbe terrae, quaeque celso in aethere
Sub meo sunt cuncta posta praepotenti arbitrio.



DE COLVMBAE NOMINE SANCTAE Virgini attributo. Cant. 6. Vna est columba mea, & perfecta mea, &c.





AVD sine Augustae fauore euasimus lucum arduum,
Virginis, sed restat ingens nominum celebrium
Sylua adhuc nobis secanda. quare ades sponsa inclyta;
Cui nequit nec fabulosa Iuno multitudine
Nominum certare, vana nec Diana, quamlubet
Tale quid petisse fertur proprium patrem Iouem.
Par labos velle vniuersa versibus comprendere,
Saecla quae in nostram priora repperere Heroida,
Ac minutae summam arenae littorum subducere.
Quis queat syluam patentem falce parua incidere?
Quis maris fluctus profundi cludere arta in vrnula?
Vel modum breui orbis ampli consequi decempeda?
Sed beatae prosequamur alia Diuae nomina
More apis laetos recessus peruolantis saltuum,
Sedulo libemus ore dicta carptim florida.
Sat mihi sit clariora nominum his subiungere,
Nempe quae pagella nobis sacra comminiscitur,
Ergo cur columba dicta'st dulce cor mihi expedi.
Quippe & hoc nomen beatae sanctus indit spiritus
Virgini, delegit illam qui sibi, & nouit probe
Illius mores decentis, indolemque amabilem.
Haec auis complura nostrae Diuae habet vestigia,
Prima quòd lurore fellis cassa tristi nascitur,
Et nihil comesse nouit crudioris visceris,
Miluij velut rapaces, praepetesque voltures.
Hac item Regina caeli nata dote creditur,

Nempe

Nempe simplex tota, tota perbenigna, & candida,
Ceu solet mollis rosa hirtis emicare sentibus,
Atque de tellure pulla pullulare candidus
Lilij flos prorsus expers terreae pulliginis.
Sicque tali creta honore, creta tali origine,
Nil veneni sensit vmquam, nil amarulentiae,
Nil odi, sed tota creuit melle dulci dulcior.
Non male vlli dixit vmquam dente carpens liuido,
Quin & Hipponactas acreis non probat, sed improbat,
Qui nefarijs amant opprobrijs pinguescere,
Huc item facit rubenti quòd columba offendere
Nesciat rostro, sed alae pugnat ictu cominus
Pro suis pullis tuendis, proque nidis dulcibus.
Eligit columba opima quaeque grana vescier,
Eligit puros fluores amnium liquentium,
Hoc suum curare pastu corpus, hocce haustu solet.
Lectitabat prisca vatum Virgo sancta oracula,
Inque se gaudebat alta perfici mysteria,
Hoc cibo se alebat, hoc se recreabat poculo.
Haec quidem pullescit ales caeteris frequentius,
Sed magis prolẽ propagat Virgo, quae omnes parturit,
Qui serena promerentur templa caeli inuisere.
Haud enim caelestem in aulam quis sine illa admittitur,
Nec Deo quisquam inuenitur incola orbis viuere,
Quin suam vitam pudicae debeat puerperae.
Nam licet suum ipsa solum seuerit columbulum,
Efficit tamen benigna quemque curà proprium,
Dum bonum nobis procurat omne, & omnem gratiam.
Quippe quos Verbo potentis veritatis optumi
Proserit Patris voluntas, hosce format iugiter,
Filiosque adoptionis gnati ad instar perficit.
Sicque toto exercet illud corde dictum Apostoli:
Denuo vos cara proles anxiè enitor mea,
Donicum formetur in vos Christi imago nobilis.
Daedala columba torque collum habet circumdatum,

Haec

Haec magis magis refulget Solis obuersa ignibus.
Hinc auis torquata dicta'st torque tali praedita.
Gemmeum monile sancta delicare in Virgine
Credimus doctrinam ab eius profluentem gutture
Dapsilem, miramque, doctrix namque doctorũ exstitit,
Haec solet nutrisse pullos pro suis extraneos,
Exteros non cessat vmquam virgo lacte gratiae
Nos suae educare, partus ceu suos parens pia.
Oenas alta nidulatur rupium crepidine.
At suam spem conlocauit Virgo summo in aethere,
Quo nequit feralis hydri vis, dolusve obrepere.
Pro canore oenas sonoro congemiscit murmure
Flebili, sic mater alma lacrymabat moestula,
Quòd foret caro superstes pignori, vitae suae.
Conquerensque aiebat imo corde dans suspiria.
Ede mi dilecte, pascis quo loco in meridie,
Ne vager leuis tuorum post greges sodalium.
Mansitans columba propter liquidi vndas fluminis.
Hic sui hostis conspicatur inruentis impetum,
Et cata euadit raponis captiones improbi.
Mysticis oraculorum Virgo sueta fontibus
Inferi praedonis astus, callidasque offucias
Praecauebat, tota legi dum sacratae intenderet.
Nec quidem obtutum columbae praeteribo simplicis,
Limulis quae numquã ocellis, turbulentisque adspicit,
Lympidam sed tendit aciem, rectam, amicam, blandulã.
Sicque quae secreto obibat, quaeque rerum propalam
Virgo sancta, mente obibat simplici, atque sedula,
Nil nisi spectans honorem singularis numinis.
Hanc palam testis fidelis comprobat sententiam.
Ecce, ait, tu tota pulcra nostra amica, & candida es,
Tota simplex, casti ocelli sunt tui columbulae.
Osculum sola inter omnis nouit oenas alites,
Nam frequenter osculari comparem solet suum,
Mutuumque sese amico vinciunt conspirio.

Aestuans

Aestuans calore sancto virgo Regis caelitis
Osculum expetebat ardens. osculetur proprio
Ipse, ait, me sponsus ore, quod potita'st denique,
Nam Dei traxit suauem laeta florem spiritus
Se sati, magnum lacertis dum foueret paruolum.
Sauio quo copulata sunt procul distantia.
Hoc Deus summus propinquus factus est mortalibus,
Hoc ratum inter dissidenteis nosque, & inter caelites
Inuicem foedus refectum, terram, & inter aethera.
Adde quòd ferè columba sola numquam cernitur,
Sed colit vitam gregatim cum suae sortis grege,
Seu cibos captat per agros, seu secat vastum aera.
Cum pijs Virgo morari, & mansuetis adsolet,
Negligit gentem superbam, mitiorem diligit,
Quos suam virtutem amare, & aemulari perspicit.
Sin lubet quoque illud adde, quòd fugit cadauera,
Quae petunt corui voraces, quòd nocere nescia
Victitet, suum relinquat quòd nec vmquam comparem.
Virgo item cauet profana quos Venus putrefacit.
Quos suam in fidem receptat, numquam amare desinit.
Omnibus prodesse gestit, nulli obesse sustinet.
Multa adhuc dicenda restant de columba simplici,
Quae videntur posse dici, sed retexe caetera
Quae supersunt, iure nequis nos queat reprendere.
Haec auis gaudet morari turribus tectorio
Illitis, purisque tectis; sic Maria confidet
Inquinatis labe nulla, sorde nulla in mentibus.
In suos nidos columba ramicem indit laureum
Fascinum timens malignum. Diua nostra in pectora
Spem locat virentem olympi, vt amuletum viuidum.
Ipsa se admiratur ales, ac renidet maxime
Intuens suos lepores, sic suis splendoribus
Par Heram laetari amictam veste conspicabili.
Contrahit columba gemmas luce de Solis nouas
Mille circa collum, & armos; sic Maria gloriam

Con-

Concipit ſuam in beatae Ternionis lumine.
Sin lubet tranquillitatem de columba diſcere,
Et quietem virginalem, ſedulo conſydera,
Quod ferunt Graij πέλειαν ἡμένην prouerbio.
Sin amorem virginalis cordis optes noſcere,
Hunc tibi pandunt Achaei nomine huius alitis;
Nam vocant ἐρᾶν περισσῶς quòd ſolet, περιστεράν.
Quòd ſi aues eiuſdem amandae noſſe manſuetudinem
Virginis, mitemque mentem, πρᾶος ὡς περιστερὰ,
Quod ferunt vetuſto adagio, te docebit planius.
Aucupes caecam columbam, quam vocant παλεύτριαν,
Poſſident venationi caeterarum idoneam,
Hac enim adlectant agreſteis, atque captant liuias.
Sic Deus pio fidelem caecam amore virginem,
Deperit quo quemque noſtrum, comparauit illicem,
Vt genus ſylueſtre noſtrum captet, ac ſibi adtrahat.
Sin columbae vis quoque huius ſcire pulcritudinem
Daedalam, Pſalmodon audi quàm lyra bellè exprimat,
Plebem vbi è ſtatu redemptum decolore iri canit.
Nam licet miro lepore pauo plumae fulgeat,
Huic tamen ſi conferamus quam canit columbulam,
Is queat graco videri, & turpior cornice anu.
Et ſi, ait, labra inter atra dormiatis fumidi,
Obliti fuligine inter furua cortinalia,
Inſtar obtectae columbae plumulis argenteis,
Quoi nitet circum corona molle collum diſcolor,
Et rubro dorſum pyropo vernat, atque iaſpide,
Tandem iniqua liberati ſorte, reſplendebitis.
Rurſus idem adfectat alas iſtius columbulae
Gemmeas, quibus profana deſerens conſortia
Auiae lumen peteſſat dulce ſolitudinis.
O mihi ſi quis columbae pinnulas det praepetis,
Poſſem vti ſecreta adire ſancta ſolitudinis,
Meque praeſeruare, quis nam me fuat beatior?
Quin & hocce adlectat ad ſe ſponſus ipſam nomine:

Surge, ait, columba mitis, huc ades mea vnica,
Iam rigor brumae facessit, pigra hyems abit sibi.
Torpidus recessit algor, cessit imber frigidus,
Lenibus flabris fauoni cana nix intabuit
Montibus, campisque apricis, fronde gliscunt arbores.
Adferens gratos tepores ver renidet candidum,
Gratius caelum enitescit, vernat aether laetius,
Ingemit turtur per agros, fausta Aedon concinit.
Nostra humus passim corymbos pulcra fundit floreos,
Grossulis ficus grauescit, alma floret vinea.
Surge iam columba mitis, huc ades mea vnica.
Atque vti candorem amandae monstret huius Virginis,
Haud semel compellat ipsam nomine hocce in canticis,
Quale sit, quod pangit illic voce lamentabili.
Ah soror sub diuo agenti pande commissas fores,
Pande mi columba fida, rore nam caput meum
Algido madet, capilli noctis hument stirijs.
Mox canit, mea ò columba rupis in foramine
Os tuum mihi reducas, concaua in maceria.
Iam tua in meis suauis insonet vox auribus.
Atque vt hanc declaret vnam singulari foedere
Obligatam sponsam habere, & quidquid exstat vincere
Virginum forma eleganti mentis, atque corporis.
Vna, ait, mea est columba candida, vna cultibus,
Gratijsque compta cunctis, gnata eapse'st vnica,
Vniceque amata matri, pignus electissumum.
Istius longùm expetitae saeculis prioribus
Virginis sacram indicabat indolem columbula,
Quam pater capaci ab arca Noe quondam emiserat.
Nam velut reuersa nunciauit aestuarium
Maxumum tandem resorptum glauco oliuae termite,
Et Deum iam cogitare saeculis humanius.
Sic Parens benigna pacis nuncia inter caelitum
Constitit Regem refectae, & nationes gentium,
Detulit quom gnatum in orbem praeuirentem gratia.

Quippe termes ille oliuae, quem tulit columbula,
Signum erat Christi virentis pacis almae interpretis.
Qui luem pacator orbis diri ademit dissidi.
Hic enim desyderatae pacis osculum adtulit
Nuntius Patris superni gentibus mortalibus,
Nec potis pacator alter iure dici quispiam.
Nam licet pacalis huius dent honorem nominis
Herculi vago, peragrans quòd plagas terrae, ac freta,
Vt ferunt, lustrarit orbem saeua monstra corruens,
Attamen nullus meretur nuncupari pacifer
Rex nisi is, qui factus orbis totius piaculum
Diluit commissa tetra caesus instar agnuli.
Nosque lustratos cruoris sacrosancti aspergine
Obferens Patri sacerdos iam nouum virùm genus,
Antea infensum scelestis, reddidit placabilem.
Quin fugatis turbulentis pectorum tumultibus,
Feruidis velut procellis fluctuantis aequoris,
Mentium tranquilla liquit templa se sectantibus.
Quare eum vates vetusti pacis almae principem
Dictitant, pacis datorem, pacis aeternae auspicem:
Nec modum pacis futurum Rege sub tanto adserunt.
Hoc bonum stirpi piorum proprium fore innuit,
Quòd satus sit orbe toto pacem agente, sub Duce
vnico, clausoque Iano, subiugatis gentibus.
Quin ferunt fagi repertum carmen inscriptum libro
Tale sub caelestis ortum Regis à pastoribus,
Qui sacrata conuolabant visere incunabula.
Iam refloret aurea aetas, prisca vernant tempora,
Bella ahenis vincta nodis comprimuntur aspera,
Impetus Martis cruenti cedit orto Principi.
Festa pax diffusa in oras iam renidet vltimas,
Iam redit Themis pudica lapsa caeli è cardine,
Occidit serpens malignus, virus atrum exstinguitur.
Nam Deus terris regendis destinauit vnicum
Filium Regem, repellet is mala omnia omnibus,

Adse-

Adferens pacem perennem, qui ſibi fide haeſcrint.
Huic bonae pacis datori, nuncio magni Patris
Supplicat quidam vetuſtus auctor hiſce verſibus:
κλῦθί μου πατρὸς ἀγάκλεος, ποτνίας κούρης τέκος,
ἀρχὲ θνητῶν ὠκυπότμων, ἦτορ ἴσχων παγκρατὲς,
ὅπλον εἰρήνης ἀείρων χερσὶν ἐν πανολβίοις,
τοῦ λόγου βροτοῖς προφῆτα, δὸς βίου δ' ἐσθλὸν τέλος.
Sed redire ad virginalem tempus eſt columbulam,
Quam ſupra diuina quaedam vidit arces aetheris
Igneas mens euolare, tranſque cunctos ordines.
Vidi, ait, quandam decoram, ceu columbam lacteam
Riuolos ſublimem aquarum vitreos tranſcendere,
Cuius halabant amictus panchaeis odoribus.
Ac velut vernis diebus, quando tellus daedala
Funditat florum corymbos, punicae circumdabant
Hanc roſae, conualliumque lilia ſuaue olentia.
Hic vocat riuos aquarum lympidos caeli choros,
virgo quos poſt ſe reliquit, de quibus pſaltes ait:
Quae ſuper caelos aquae ſunt concinant nomen Dei.
Sed velim Regina ditem gratiam mihi impetres
Illius, gnati reſedit qui tui almo vertice
In columbae ſpecie, & idem nomen hoc tibi addidit.



DE AQVILAE NOMINE SANCTAE Virgini attributo. Iob 39. Numquid ad praeceptum tuum eleuabitur aquila? & in arduis ponet nidum suum?





AMQVE adest tempus canendi nomen
eius alitis,
Quam Syri נשר *vocarunt, Graia gens*
vero ἀιετὸν,
Nosque nostro denique aquilam dictitamus famine.
Quippe & istuc Mystae adoptant virgini fortissumae,
Propter huius multiformem vim volucris insitam,
Ergo nunc columba cedas fortiori aliti.
Id iubet Regina caeli, quando & haec dotes suas
Haud minus sortiri ab ortu sese ait feliciter,
Atque tu, vitam aemulari quae videris ipsius.
Nam velut aquila vniuersis imperat volucribus,
Omnibusque dignitate praestat, atque robore,
Aeris campos patenteis quae secant volatibus.
Sicque trinae Domina turbae, nempe contemplantium,
Virginumque, & Angelorum praesidet volatili:
Nam Deus sublimiorem fecit alis omnium.
Nec modo adsurgunt verentes vniuersae principi
Aliti, ac cedunt volucres, verùm earum pinnulas
Istius pennae remistae deuorant, atque obterunt.
Quoi quidem facto latenter haec subest sententia,
Neminem velocitate mentis, & sublimibus
Virgini potesse magnae comparari nisibus.
Quòd ferunt Ioui sacrari propter excellentiam
Gnesion, falsum esse constat, sed Mariam virginum
Principem Christo dicari quis neget nisi impius?
In suo nido reponit aquila gemmam nobilem,

Quae, quia temulae inuenitur crapulae aduorsarier,
Hanc suo sermone Graij dictitarunt sobriam.
Nam negant huius volucris posse pullulascere
Oua, ni contacta ab istoc viua fiant calculo,
Quare eum curare nidis in suis recondere.
Quin ferunt virtutem habere virus amolirier
Vniuersum longè, & omne triste deleterion,
Hocce fit, ne bestia ausit pestilens obrepere.
Haec fidem signat Mariae, quam sui diti indidit
Corculi nido, venena qua fugabat daemonum,
Dico vitia quaeque tetra, & saeculi contagia.
Spiritu hoc viuabat oua, nempe foetus actuum,
Nam fide acta cuncta fiunt destituta inaniter,
Nec Deo spirare quidquam, quod fide caret, potest.
Quin suum Gnatum indicasse dicta gemma quiuerit,
Qui vocatur angularis maxumi preti lapis,
Millibusque electus vnus, monte caesus sine manu.
Hunc fide nido locauit Virgo cordis primulum,
Postmodum vero cubili ventris excepit sui.
Vnde sunt viuata nostra facta pridem emortua.
Haud enim tantum sibi ipsi pectori inclusit pio,
Verùm & insertauit illum mentibus mortalium
Omnium, fidem vigentem qui sequuntur ipsius.
Hocce turbam virulentam profugamus Manium,
Ne queant nocere nobis, hocce facta viuida
Nostra fiunt, quae sine ipso nil valerent friuola.
Quòd ferunt quidam gagaten in suis reponere
Dulcibus nidis volucrem principantem caeteris,
Credimus neque id priori discrepare sensui.
Nam gagates igne tostus, flammeove incendio,
Nil sui deperdit vmquam, quin gerit praegnans suo
Hic lapis alium lapillum ventre, tamquam filium.
Quare & hunc fidem efficacem denotare virginis
Comprobatam remur acri angustiarum examine,
Nec tamen quidquam imminutam pristino de robore.

Porro

Porro quòd gestare fertur alteram aluo gemmulam,
Id fidem testatur eius non fuisse emortuam,
Sed repletam caritate, ceu suo auctam spiritu.
Huc facit quòd lusciosos quidam oriri scriptitant
Praepetis pullos Pygargi, moxque acuta lumina
Reddier tactu Gagatis exolente albugine.
Atque tantum lucis inde, tantum apisci acuminis,
Vt iubar Solis tueri non modo ausint postmodum,
Sed aciem contentè in illum non pauescant figere.
Quippe quos progignit ipsa Virgo spiritalitér,
Iis sui dat notionem certiorem filij,
Vt iubar caeleste possint conspicari acutius.
Nam refert simul gagates virginalem filium,
Sonticam qui deprehendens pectoris nostri luem,
Efficit ne mente caeca conuolutemur solo.
Sed sacro morbo medela iam represso congrua,
Mandat adspirare rectos clara caeli ad sydera,
Celsa consectari, & ima quaeque dedignarier.
Porro quòd fugare saecla proditur serpentium
Pumicosi vis Gagatis, in suis fidelibus
Innuit Christum solere virus omne exstinguere.
Nec caret sensu probando quòd gagates tubera,
Atque verrucas reuellit: nam malos furunculos
Eximit Christus suorum mentibus fidelium.
Sacra sed nos praestolatur, atque suadet gemmulis
His omissis, pangere ales quae supersunt symbola,
Queis videtur comparari posse claram virginem.
Haec in altis nidulatur, congeritque rupibus,
Ne sibi pulli auferantur, in Deo virgo suam
Spem locauit, partus eius ne periret actuum.
Constat id quod ante dictum'st, in locis aquilam editis
Nidum habere, sic Mariae gratia in sublimibus
Insidet, sublima caeli nempe cogitantibus.
Quippe in his gaudet morari, qui nihil iam terreum,
Nil amantque saeculare; sed canunt cum maxumo

Gentium Doctore in astris nostra conuersatio'st.
Quòd si ais suffixum in altis Virginis nidum iugis,
Arduis vitam exstitisse deditam virtutibus,
Prorsus id quoque esse verum quis negassit perspicax?
Haec auis praecurrit omneis vna visu acerrumo,
Longiusque posta cernit, sic Maria acutius
Omnibus ventura praeuidebat, & recondita.
Ac velut facem nitentem Solis ales lumine
Cernit haec nictu carente, sic Maria clarius
Numinis trini serena mente fulgur percipit.
Quin eos quos ipsa gignit Virgo spiritaliter,
In suos gnatosque adoptat, adsuescit filij
In sui diuinitatem fulgurantem intendere.
Nam velut pullorum ad ignem Solis ora obuertere
Haec solet, visuque acuto praeditos, ceu gnesios,
Adserit, visuque obesos abijcit, seu subditos.
Sic Parens diuina lumen omnibus sui vnici
Admouet diuinitatis, qui nequit glaucomate
Mentis illud sustinere, ceu notham prolem abdicat.
Permeat cito volatu maxumas immusulus
Orbis oras, sic potentis sacra maiestas Herae
Porgitur caelum per omne, per fretum, per aridam.
Hac ferunt solere pullos nullam amare impensius
Alitum, sed vero amore quid potest conferrier
Diuae, amanti quos cooptat semper impensissume?
His sui procurat escam carnis almi pignoris,
Quae coruscas addit alas semet esitantibus
Et pareis facit beatis, proxumosque numini.
Adsolet gaudere fulua viscere ales vescier,
Atque carne agnina abunde, Virgo candidissuma
Pascitur sic castitate nostra, & innocentia.
Hanc ferunt quoque augurales esse naturae viri
Alitem perquam calentis, verùm ei cedit nihil
Caritatis igne flagrans virginale corculum.
In suis quondam tyranni, & purpurati principes

Hanc auem ſceptris ſolebant aureis imponere,
Se per hoc ſignum innuentes praeſidere caeteris?
Sic ſuper caeleſte regnum Rex beatus caelitum
In throno ſublimiori collocauit virginem,
Ad ſui imperi eminentis denotandam gloriam.
Innuunt docti vetuſti Virginem antecedere
Omnibus perfectione, dum canunt τελειότατον
αἰετὸν πάντων πετεινῶν, ἀρχὸν οἰωνῶν μέγαν.
Nec quidem illud negligendum quòd ſolet vorſarier,
Haec auis plerumque ſola, virgo ſolitariam
Sic item vitam colebat, ni foret neceſſitas.
Hanc negant ſolam volucrem poſſe oburi fulmine,
Hinc Ioui fingunt ſacrari; ſed dicata verius
Eſt Deo Virgo, quòd expers igne peccati exſtitit.
Numquam enim in ſeſe furentis prouocauit numinis
Facta ſons iram nefaſto crimine, vt punirier
Iure poſſit, grata ſemper ſed Deo vna floruit.
Obſitos iam veſte alumnos plumea lagophonos,
Atque adultos pulſat alis, & pigros nido excutit
Edocens niti per aethram, & ſe aemulari praeuiam.
Haud ſecus diuina virgo per ſua exempla erudit,
Perque docta dicta inerteis, prouocans terreſtribus
Hiſce rebus derelictis, quo volauit ſubſequi.
Huc poteſt apte referri peruetus prouerbium,
Quo ferunt aquilam inuolare nubibus, videlicet
virginem fruſtratam iniquas captiones hoſtium,
Nam per haec terrena praedo callidus tenacibus
Caſſibus nos ſaepe nectit, & doloſa compede
Implicat, ne fulua caeli tranſuolemus ſydera.
Ergo nos virgo beata proprio exemplo edocet,
Vt bona haec fluxa, & caduca deſerentes ſaeculi
Adpetamus ſempiternam mente celſa gloriam.
Quin poteſt habere ſenſum dictum adagium & alterum,
Eminenti nempe eamdem gloria praecurrere,
Et genus mortale, & omnis ordines caeleſtium.

Quòd

Quòd ferunt Ioui hanc volucrem tradidisse fulmina,
Ut gigantes fulminaret, constat esse id futile,
Atque falsum, sed Mariae tale factum congruit.
Quippe Virgo pradita alis aureae innocentiae
Vnico summi Parentis membra sancti corporis
Detulit, queis tectus acreis strauit aduorsarios.
Daemonum turbas fugauit, qui tenebant omnia,
Laeua quos Deos putabat esse gens, & numina,
Victimasque his immolabat cum vapore thureo.
His Necem confecit armis Dux neci vitae datus
Inclytus, plectebat omne quae genus mortalium,
Et scelus nostrum expiauit, innouauitque omnia.
Saepe auis carnes olenteis haec petit cadauerum
Escae amore lapsa ab alto, Virgo conscientia
Putidos cadauerosa sic reuisit caelitus.
Quippe quos tetri remordet cura amara criminis
Conscios adit frequenter, ceu fame impulsa graui,
Et medela orationis vindicat putredine.
Moris est Percno ferenti de loco prolem ad locum
Insuper vectare dorso, nequa forte spicula
Missa sursum volnerare, ac sternere ipsam possient.
Sic suae protectionis nos vehit dorso pia
Ad superna regna Virgo, ne queant Cocytia
Nos deorsum abstraxe tela, daemonumve spicula.
Dignum & illud comparatu symbolum inter caetera,
Quòd ferox auis draconi diffidet teterrumo
Ob sua oua, mente tentat quae maligna euertere.
Quare eum sublime raptat, atque vexat vnguibus,
Ille nexu tortuoso nectit alas alitis
Sic simul delapsi ad ima quisque pugnant acriter.
Verum eum plerumque vincit, obteritque inuicta auis;
Unde vbi plausum ingruentis aure acuta percipit,
Si licet, statim in cauernas, ac latebras abditur.
Haud secus cum virulenta gente pugnat daemonum
Alma Virgo propter illos, quos Deus sibi eligit,

Ne ferantur diro ab hoste victi in ima tartara.
Sicque Diua bellicosa praedam ab atro deripit
Improbi praedonis ore saepe, quam putauerat
Posse tetro deuorasse destitutam gutture.
Hoc Deus certamen acre sanxit in natalibus
Istius patentis orbis inter hos conflarier,
Quom truci minans draconi tale verbum protulit.
En ego inter te duellum ponam, & inter foeminam,
Et tuum praue hydre semen ponam, & inter illius,
Haec tuum potens Virago conteret dirum caput.
Est nefas transire amici quod Deus de moribus
Disserit aquilae huius almae, dum virum coarguit,
Quem petiuit perduellis acer, vt prosterneret.
Num tuo (inquit) arbitratu subleuabitur aquila?
Aut tuum ad nutum locabit in locis nidum arduis?
Ipsa praeruptis moratur, confragisque rupibus,
Ac suam inde spectat escam, prospicitque longius,
Peruolatque vbi cadauer esse putre senserit.
Ipsius pulli calentem sanguinem allambunt simul.
Hisce verbis denotauit non ope humana inclytam
Diuam in astra subleuatam caelitum super choros,
Sed Dei virtute tanto praeditam fastigio.
Quin eam quiesse in altis indicat virtutibus,
Angelosque inter moratam, qui petrae abruptae cluent
Propter illos, qui dirempti conruere in tartara.
Tum suam hic refectionem dictat in caelestibus
Quaeritasse, dulci alumnos nutriisse filii
Notione humanitatis, quam rubens signat cruor.
Innuit tandem (quod ante diximus) praesto fore,
Esse semper, ac fuisse vindicare noxios
Criminum putore tetro, pro sua clementia.



DE NOMINE APIS DEI GENITRICI attributo. Eccl. 11. Apis breuis est in volatilibus, & initium dulcoris habet fructus eius.





IL ferè esse in orbe toto dixi honestum, & vtile,
Nil bonum, sollers, venustum, dulce, laetum, amabile,
Unde non denominetur Mater alti Principis.
Quare apis quoque inuenitur dicta sacra in pagina
Melleum propter liquorem, conficit quem floribus,
Ob pudorem, & gnauitatem, & caetera id genus bona.
Sic enim scriptura clamat, est apis quidem breuis
In volucribus, sed eius fructus exstat optumus,
Obtinetque principatum caetera inter dulcia.
Quae nam apis breuis nisi illa, lecta quae mater Dei
Se Dei vocat ministram, filijque numine
Fert refertum corpus almo, vt melle apis fauum suo?
Caera enim vitale corpus rore compactum rubro
Sanguinis fert virginalis; porro succus melleus
Exprimit diuinitatem delitentem in corpore.
Nam saluber fructus huius sacrae apis non de sero,
Caeteri vt solent, virili; sed cruore lympido,
Spirituque sancto alescit, ceu fauus de floribus.
Hoc satu cretus nitenti fert colorem amabilem,
Et saporem delicatum, fertque odoris gratiam,
Gratus olfactu, suauis gustu, & adspectu decens.
Sicque fructus virginalis nos suaueolentia
Recreat, simulque amoena pascitat dulcedine,
Adlicitque adspectu honesto, & liberali gratia.
Zosimus commendat istuc Pontifex mysterium,
Publicè sanxit quotannis qui micantem caereum

Tempore exsurrectionis luculentae adcendier.
Caereus procerus ille corpus alti filij
Exprimit diuinitatis lampade aptum candida,
Reddidit qui laeta cuncta morte tristi expergitus.
Hoc item clam denotatur Matris almae integritas,
Quando apis caelebs creatrix talis exstat caerei,
Quae suis Diuam figurat moribus caelestibus.
Quondam apes legi repertas, quae fauos construxerint
In tenelli infantis ore, tamquam in alueario,
Qui foret pater leporum, & omnis eloquentiae.
Sic sua benigna mater mellea dulcedine
Cor meum compleret omne, corque & os iufans simul,
Quo queam concinniori voce carmen fundere.
Nunc velim Camoena dicas dia, qui volatiles,
Praepetesve aues ferantur, qui vocentur alites,
Quos refertur inter esse nostra sacra apicula.
Qui peragrant summa caeli templa nisu praepeti
Mentis acris, ac relictis sedibus terrestribus,
Rebus intendunt supernis semper, & caelestibus.
Nunc age & quodcunque gnauam nosti apem laudabile,
Quodque pulcrum habere morum singulatim edissere,
Atque confer Diuae, & eius institutis optumis.
Illa amat flores nitenteis, pasciturque floribus,
Lilijs, crocis, amellis, & thymis fragrantibus,
At fugit nidorem olentem marcidorum corporum,
Sicque Iesse virga gaudet floridis virtutibus,
Cultibusque morum honestis, sed fugit lubidinis
Putidae virosum odorem, cogitatusque improbos.
Ergo nos ornari oportet moribus decentibus,
Flosculis velut venustis, si velimus daedalam
Usque nobis insidere virginalem apiculam.
Grata api tranquilla sudi temporis serenitas
Aduenit ventos perosae, turbinesque feruidos,
Quippe eam porcent procellae pastione florea.
Virgo amat pacem serenam mentium concordium,
Diligit

Diligit tranquillitatem, turgidosque spiritus
Odit infestos quieti, commodisque publicis.
Ipsa pulsu aeris canori, cymbalique impendio
Tinnientis voce gaudet, verùm imago garrula,
Quae resultat in cauernis, adcidit molestior,
Haec Deum lubenter audit iubila insonantia,
Et sacros choros, & hymnos, porro ineptas fabulas,
Indecenter obstrepenteis improbare noscitur.
Quàm sit autem iusti amatrix moris illud indicat,
Quòd male adquisito in alueo nec fauorum cellulas
Construit melissa sollers, nec potest consistere.
Qui se apis proritat, acre torquet olli spiculum,
Et venenum laesa spirat, virginem conuitijs,
Qui sacram lacessit, iram sentiet tandem ipsius.
Mundius vita fruentum nil ape esse proditur,
Proinde foeda quaeque abhorret, putidumque olentia,
Egeritque longè oletum de suo alueario.
Nec modo odit ipsa rerum spurca quaeque, & foetida,
Sed quoque ipsos delicato delibutos vnguine,
Spiculoque acuto adurget, impetitque homunculos.
Sed nec vsquam excogitare mente defaecatius
Virgine illa quidquam habemus, quam solent oracula
Sancta lucem nominare, & candidum Solis iubar.
Quin & ipsa effoeminatos, & seplasiarios
Virgo abhorret, quos olere exoticum puluisculum,
Quos iuuat madere myrra, & transmarino amaraco.
Mellcum melissa nectar mille praesentissumam
Repperit morbis medelam, virgo natum protulit,
Eripit qui morte saecla, datque vitam perditis.
Nos quidem illud scimus esse fabulosum, & futile,
Quòd ferunt forma Melissam liberali praeditam
Melle dulci nutrijsse paruolum in Creta Iouem.
Ac proinde gratum alumnum contulisse foeminae,
Vt cibo, quo se educarat educatrix facta apis
Vesceretur ipsa posthac per perenne saeculum.

Sed

Sed bene illud esse certum confitemur propalam,
Virginem lactis liquore melleo verum Deum
Se satum mox educasse, & nutriisse infantulum.
Sicque eam laboriosa factam apem sollertia
In superna regna ductam mellea dulcedine
Pascier diuinitatis, & beatitudinis.
Roscido se melle nutrit, & rubenti erythace
Parca apis tempus per omne, Diua alebat se actibus,
Qui manu gnaua geruntur, quique aguntur spiritu.
Hacce se pascebet esca bina amator nobilis,
Qui meum fauum comedi, pangit ore candido,
Iam meum fauum comedi cum meo melle huberi.
Hic fauus caelatus artis cellulis sexangulis
Melle plenis actionem corporalem delicat:
At latex dat functionem spiritalem melleus.
Dulcibus rebus fouetur, recreatur defruto
Fessa apis, ficuque dulci, sic benignis moribus
Pascitur nostris Maria, & comitate adfabili.
Quem Ducē sortita honorat cumque apis, quàm maxume
Huic obedit imperanti, sic verebatur Deum
Virgo, & obseruabat eius iussa cuncta sedulo.
De suis apis locellis desides fucos quatit,
Exigitque immune monstrum, quòd nihil frugis ferat,
Verùm iners consumit intus quidquid ipsa congerit.
Sic Maria expellit à se, & gratia sua abdicat,
Qui nihil gerunt salubre, & adferunt dispendium
Caeteris gulae, otioque, luxuique deditI.
Sese apis librat lapillo, ne leuis ludibrium
Ingruentis fiat Euri; sic Maria immobilis
Turbine in tentationis haesit, vt rupi, Deo.
Furua apem laboriosam de suo alueario
Vis solet fugare fumi, sic Mariae gratiam
Improbo fastu repellit turbulentus spiritus.
Nec quidem illud transeundum quòd frequenti gaudeat
Gnaua apis sodalitate, sic amat consortia,

Et

Et pios coetus proborum Virgo gestit visere.
Haud secus suo beata struxit amplam regiam
Virgo in imo corde Regi, quàm ferunt Hyblacam apem
Intumo moliri in alueo proprio Duci atrium.
Quisque apis curam tuendae suscipit, talem ferunt
Nosse eam, multumque amare, sic suos potissimum
Diua Mater nouit, atque diligit domesticos.
Non sibi ipsa apis liquorem melleum tantùm parit,
Verùm & hunc nobis recondit, Virgo nec tantùm sibi
Protulit fructum salubrem, gentibus sed omnibus.
Casta apes libat fluores puriorum fluminum,
Terrulentos vitat amneis, sic Maria fontibus
Se sacrarum litterarum recreabat lympidis.
Delitescit bruma inerti pigra in aluearijs
Parca apis, geluque torpet. Virgo vbi infidelitas,
Atque hyems amoris alget, fertur esse inefficax.
Quin apis compendiosa gnaua diligentia
Virginis sollertis huius luculentam imaginem
Obtinet, dum sese honestis occupat laboribus.
Nam simul boni parentes obtulere trimulam
Impigram Deo ministram, sicuti spoponderant,
Gratius manu parato numini sacrarium,
Sedulo diuina obire mancipata munia,
Sedulo relata sanctae scita legis voluere,
Et frequens conferre vatum mente dia oracula.
Quin dabat se orationi noctis in silentio,
Interimque aeterna ruminabat, & caelestia,
Nonam ad horam, post vacabat corporali muneri.
Sic breui coetum sodalium aurea modestia,
Et pudore anteire, & omni laude sanctimoniae
Norma facta vitae honestae caeteris aequalibus.
Haud secus quàm plena fulget inter astra Cynthia,
Quàm rosa inter purpurascit flosculos minutulos,
Et smaragdus in lapillis enitet vulgaribus.
Quin vouere virginale'st ausa purum lilium

Prin-

Principi Deo sine vllo patrio exemplo prior,
Praeuia huius facta saeclis instituti posteris.
Ergo iure praedicatur Virgo primicaeria,
Virginum antistes sacrarum, virginum primaria,
Quae Deo obtulit pudoris prima florem candidum.
Quare eam florere cernens tot Deus virtutibus,
Sede de summa volucrem mittit illi nuncium,
Qui ferat velle esse matrem germinis sui vnici.
Illius quem dudum amando scilicet conceperat
Intimis mentis medullis scripta vatum lectitans,
Quod foret secreta Virgo mater excelsi Dei.
Mater eius, quem celebrat gnatus Amos nobilis,
Quo loco inquit foeta fiet Virgo, & edet filium,
Quem parens appellitabit Alma nobiscum Deum.
Ergo vbi accepit Pater quid vellet, ore reddidit,
En ego imperata summi sum parata ancillula
Exsequi Regis, secundum sit mihi verbum tuum.
Hisce dictis in puellae sanctus intrat viscera
Spiritus, virtusque ventrem complet illa Altissimi,
Et nouum fit denique illud, atque inauditum prius,
Quod vetus vates canebat, quem parens sanctum edidit,
Rem nouam (inquit) molietur terrae in orbe caelitum
Rex, Puella caelibe aluo nam virum circumdabit.
Hisce gestis, laetus ales ocyor vento aetheri
Redditus, responsa Patri rettulit sponsae Deo,
Gaudiumque oppleuit ingens templa sancta caelitum.
Id prius quoque adstruebat Patriarchae seruolus
Missus ad quaerendum herili filio aptam coniugem,
Qua reperta, corde laeto contulit se in patriam.
Angelus factum innuebat tale, quando Manue
Filium denunciauit nasciturum strenuum,
De manu gentem exterorum qui suam defenderet.
Sic Dei illibata Virgo concipit prolem vnicam
Sic subit castellum Ihesus, quod sacer scriptor refert,
Sic Dauid intrauit idem turrim inexpugnabilem.
Mille

Mille scutis cinctam, & armis, mille propugnaculis,
Quippe erat fortissuma illa rupe fixa in ardua
Arx, Auernalis tyrannus quam nequiuit vertere
Machinis, dolisve cunctis, nec cruento exercitu.
Quin cateruae tale castrum contremiscunt inferae,
Vnde se accepisse cladem, & damna norunt maxuma.
Hic enim primum supernus Imperator constitit,
Quando profligare in orbem venit hosteis impios,
Et superbos sede celsa daemonas detrudere.



DE DOMVS DOMINI NOMINE REginae caeli attributo. Psal. 92. Domum tuam decet sanctitudo.





VNC mihi domus canenda'st, siue templum, nomina
Virginis clarae, sed ante scala cur haec dicitur
Concinam, quid signet arca, quidue sanctuarium.
Dicitur virgo beata scala, quòd nos exsules
Infima de sede terrae tollat in caeli atria,
Et Deum deducit ad nos sospitalem ex aethere.
Tale priscis est retectum patribus mysterium
In vetusti Patriarchae luculento somnio,
Scalae vbi sub astra tensae vidit innixum Deum.
Et gradi sursum deorsum caelitum alites choros,
Qua statim fidelis heros visione expergitus,
Hic domus Dei profecto'st dixit, & caeli ostium.
Scala celsa erat Mariae forma summae virginis,
Quae licet terras teneret stirpe mortali sata,
Attamen sublimi adibat mente caeli sydera.
Huic adhaeret ergo scalae qui polo descendere
Iam per ipsam cogitarat, nosque Rex inuisere,
Atque ab ima sede in astra creuerat sustollere.
Haud enim ipsa scala caeli dicta solum, quòd Dei
De poli stellantis arce filium deduceret
In sui ventris cubile Diua virgo floridum.
Sed quòd & mortale saeclum Dux ab hac subduceret
Fida pignus per beatum valle lacrumabili
In serena templa caeli, & caelitum in consortium.
Quin Dei domum vocauit, quòd videret incolam
Hanc Deum tenere velle, velle & inde concipi,

Et nouem menses habere dulce diuersorium.
Ostium porro ille caeli, & portam Olympi dictitat
Quòd salutem prodituram cerneret mortalibus
Ex ea, caelumque posse nos per ipsam indugredi.
At frequens recursus ille ciuium caelestium
Per gradus vltro, citroque scansiles dabat fore
Ipsi vti nobis per illam iungerentur vniter.
Haud secus Diuam id monebat caelitum consortio
Perfrui debere natam sedulo obsequentium,
Et vicissim se colendae tamquam Herae exhibentium.
Quin eandem olim indicabat mentibus sollertibus,
Quod Deus sibi imperauit pegma sanctuarij
Construi, rite vt subiret nostra contubernia.
Hoc erat corpus Mariae mysticum tentorium,
Non quidem fultum columnis cedrinis, vel aeneis,
Pellibus rubrisve tectum, carbasisve ianthinis,
Nec litis auro tabellis, nec base aptum argentea,
Sed Dei peculiari fabricatum industria,
Esset vt perfectum, & omni praeditum elegantia,
Quae supra dicta innuebant in typo compactili:
Nam velut gnatus decore praenitebat caeteris
Filijs, sic mater alma filiabus omnibus.
Vnde & ipsa dictitatur tota pulcra in canticis,
Et figurata in puellis, quae sacris in biblijs
Praedicantur formae honore praestitisse caeteris.
Arca vero inclusa talis ambitu peristyli,
Viuidis compacta lignis, nec situ putrentibus,
Aureo serto reuincta, & bracteis cincta aureis,
Mens erat latens puellae corporis sub tegmine
Nullius culpae veneno, noxiaeve obnoxia
Omnibus vallata clarae laudibus prudentiae.
Caeterùm quod talis arca continet verbum Dei,
Admonet puro Mariae pullulasse in pectore
Vnicum Dei, prius quàm ventris in saepto hortulo.
Quòd quaternos demum habebat circulos cum duplici

Vecte, queis vehi solebat, addocet virtutibus
Quatuor regi fuesse bino amore feruidam.
Sed suam ad domum redire Patriarcha maxumus
Nos monet, quam fabricatrix sydérum micantium,
Et soli, glaucique ponti condidit sapientia.
Ipsa suffulsitque sacro, ne labaret, culmini,
Gemmeas septem columnas, eius vt sedes foret,
Atque eam trini teneret numinis praesentia.
Nec super tali silendum'st quid Deus dicat domo
Construenda Regi amico per prophetam interpretem.
Non mihi tu gratum amice construes palatium,
Quod colam, sed postquam adempto lumine obdormiueris,
Postumum tibi excitabo de tuo ortum semine
Filium, huic perenne sceptrum praeparare destino.
Is meo domum decentem condet almo nomini.
Ast ego eius sedem in aeuum sempiternum fulciam
Regiam; Pater vocabor ipse talis filij.
Ast meus cluebit ille iure gnatus vnicus,
In meum regnum reducam Regem, & in thronũ meum,
Quem tenebit iustus haeres firmiter per saecula.
At domum hanc meo sacrabo, & dedicabo numini
Inclytam, non vmquam ab istac nostra flectam lumina,
Huic meum cor adligabo, curae erit semper mihi.
Sed quid horum auditor istac de domo canat, cape:
Sanctitas (inquit) perennis addecet domum Dei.
Quare ego illius decorem diligo admirabilem.
Hanc quoque idem prosperari, & iugiter florescere
Filij ex persona in aeuum nostro amicti corpore
Obsecrat pius propheta maxumum Patrem Deum.
Tu bene (inquit) dic fidelis seruoli tui domum,
Sicuti locutus es mi, Rex bene hanc dic optume,
Quo sit auspicata coram te perenni tempore.
Sed sibi quid volt prophetae bina comprecatio?
Sempiternae electionis nempe certitudinem,
Atque consummationis absolutam gratiam.

Idem opes huiuſce magnae concinit fidicen domus,
Concinitque lautiorem cultum, & amplam copiam,
Noſque ibi ſolari egenam poſſe commonſtrat famem.
In tuae domus beatae Rex bonis explebimur,
Quippe gaza tota abundat, tota luxu ſplendido,
Hic noua arridet ſupellex, hic noua adfluentia.
Quàm beatus, quàmve felix quiſquis ò Deus tuae
Sub domus nitentis amplis atrijs morabitur
Ille te cantare numquam voce grata deſinet.
Fidere inſueſcent tuarum ſaecula alarum Deus
Tegmini, domuſque fient copijs tuae ebrij,
Iis tuae torrente potum de voluptatis dabis.
Quin & idem procreandae de ſuo olim ſemine
Virginis candore captus liberali, & gratia
Taliter Regi beato concinebat caelitum.
Summe Rex tuae decorem diligo admirabilem
Inclytae domus, tuaeque gloriae ſanctae locum,
Ne velis me cum profanis, impijſve perdere.
Quin & alter obſtupeſcens huius amplitudinem,
Clamat ò domus potentis quàm Dei magna Iſrael,
Quàm locus poſſeſſionis eius ingens panditur.
Multa ad haec vates ſupremo concitati numine
Caeteri ſuper domo iſtac protulere oracula,
Quale & id, quod Feſtus alti fundit interpres Dei,
Quod Deus plebis reductor ipſe dictat propriae.
Terram, & aequor concitabo, lataque orbis moenia,
Et frequentis exterarum nationes gentium.
Moxque Rex deſyderatus, omnibuſque amabilis
Praeſto erit, domum replebo gloria hanc mirabili,
Clarius domus nitebit quàm prior nouiſſima.
Hic Pater nouiſſimam aedem virginale vaſculum
Dictitat, quo gnatus eius carne ſemet induit,
Particeps humanitatis factus, atque corporis.
At domum primam vocauit protoplaſtam foeminam,
Quam malus ſubuertit anguis faſtuoſum ob ſpiritum,

Porro

Porro postremam Mariam dicit insolentiae.
Nesciam prorsus futuram, & omnium quasi infimam:
Huius ergo rite maior splendor esse dicitur
Vltimae aedis quàm prioris, quae ruit mox condita.
Nam prior peccando mortem proprijs nepotibus
Obtulit, postrema vitam rettulit mortalibus,
Quando concepit pudico ventre Christum principem.
Tunc & ipse impleuit ante voce quod spoponderat
Nobilis vatis vetusti, nempe sanctitudinis,
Et locum pedum meorum augere honore peruolo.
De domo quom virginali dicta sint multa adfatim,
Insimul de virginali disseramus culmine,
Cuius & figura templum Salomonis exstitit.
Nam domus subinde templum, templū item cluet domus,
Tamque quod captiuitatem conditum praecesserat,
Quàm quod & captiuitati postmodum successerat.
Haud latet me augustioris aedis amplam machinam,
Quam bonus Rex monte sacro collocauit Moriae;
Erigendae omen fuisse spiritalis fabricae.
Scilicet satu puellae procreandae regio,
Quam Deus suae volebat esse templum gloriae,
Corporis vestiri amictu nostro vbi decreuerat.
Ne modum vero extumescens hymnus excedat sacer,
Quae patent per sese omittam notiora transuolans
Tu sagaci conde mente quae profabor mystica.
Ac duo primum notato molis huius propria,
Saeculis cunctis stupendam nempe magnitudinem,
Et noui ornatus decorem, & daedalam elegantiam.
Tanta erat regalis huius magnitudo curiae,
Vt virùm centum exstruendo milies sexagies
Occuparit continenter septuenni tempore.
At lepor talis nitebat intus, vt quamplurima
Aduenarum ad se intuendum pelliceret agmina,
Porro opus cōstabat omne cedro, & auro, & marmore.
Marmor amplum construebat ambitum muri extimum,

Hunc

Hunc coassabant olentes cedrinae introrsum trabes,
At cedri conuestiebant bracteae tigna aureae.
Hic erant caelata Regis, pictaque acta caelitum
Mira, plebi qui redemptae de tyranni compede
Perfidi, praecepta legis sospitalis sanxerat.
Hisce signis Rex putabat, splendido & caelamine
Se suos posse excitare ad diligendum proprium
Vindicem, qui se maligna seruitute exsoluerat.
Magnitudo poscit ingens maximam potentiam,
Nemo enim tantum virorum comparasse possiet,
Vt sibi auscultent iubenti, ni fuat Rex praepotens.
Quis queat porro expolisse tale sacrum laminis
Aureis, pictave cedro, caeterisque ornatibus,
Ni fuat summa peritus artifex scientia?
Ergo tali duplicata praeditus potentia
Rex domus metator huius Architectusque arduae
Delicat rerum satorem, conditoremque omnium.
Nempe qui mundi capacis condidit flammantia
Moenia, insignique pinxit sydèrum toreumate,
Brachium dictus supremi Patris, & sapientia.
Ipse enim suae parentis indolem celsissumam
Maxumus fundauit auctor eminentem caeteris,
Non quidem statu insolenti, sed sacri bono ingeni.
Qui queat, ni talis esset, atque tanta amplectier,
Ac suum auctorem tenere, quem nequit comprendere,
Nec sinu tellus patenti, nec poli conuexio?
Nec fuit sat condidisse virginalem fabricam,
Verùm & ipse ornauit altis artifex virtutibus
Omnibus, queis floruisse quisque ab aeuo proditur.
Ceu solet monile doctus aureum micantibus
Aurifex variare gemmis, ac figurarum notis,
Floreis veris corymbis, sydèrumve insignibus.
Marmoris nam signat albor pulcer innocentiam,
Auri in aestimatione caritatem intellige,
At cedrus dat castitatem nescia imputrescere.

Quin

Quin eam fulsisse mentis vniuersis dotibus
Indicat fani exstruendi mysticum septennium.
Nam dabat septena sancti spiritus donaria.
Nec minus mirum videtur quod sacer scriptor refert,
Non fuisse audita scalpra, malleosve obtundere
Aede in hac dum conderetur, arma quadratarij.
Nam quies talis monebat viuidum sacrarium
Procreandum immune auiti virginale fomitis,
Ferreus quem prodidisset ictus aures verberans.
Haud enim decebat illam parte in hac concedere
Lubricae priscae parenti cretae ab osse comparis,
Quae bibit dirum venenum callidi anguis improba.
Quin honestiora vates fabricae natalia
Istius recentioris intuens fore incinit.
Est domus decor secundae quàm prioris amplior.
Nam prior funesta mortis triste conceptaculum
Exstitit gnatis, sibique, sed secunda posteris
Protulit porta nitenti cara vitae semina.
Vltima tandem absolutam quom frequens coronide
Coetus, & Rex dedicaret victimis sollemnibus,
Tum Dei flagrantis opplet sancta maiestas domum.
Id dabat fore, vt veniret ad colendum virginis
Integrum cubile, corpus vt sibi almum sumeret,
Atque eam compleret ardens numinis praesentia.
Subdidit diuinus auctor hisce, quae clarauimus
Rite palmas adprecantem sustulisse ad sydera
Supplicem Regem, superbum templum vbi perfecerat.
Ac Deum exorasse, vt omnis, qui sub hac testudine
Supplicasset liberari cladibus praesentibus,
Adnuisse vellet olli pro sua clementia.
Si seges tentetur atra fertilis rubigine,
Seu fames, morbusve teter, siue bellum incesseret
Siue capta gens in orbem duceretur exterum.
Seu neget foetus opimos terra inops enitier,
Quod graui torrescat aestu, rura findat aestifer

Sirius,

Sirius, nullosque caelum fundat imbreis aeneum.
Si manus, menteisque ad istuc tenderent oraculum,
Ut malum triste amoueret numen exorabile,
Protinus voto impetrato compotes euaderent.
Hinc queat fructum salubrem quilibet decerpere,
Gesta praclusisse nostris si vetusta intelligens
In suum conuertat vsum quod latet sub littera.
Hinc enim quauis patescit pro necessitudine,
Si pigens peccasse ad almum virginale oraculum
Confugit, posse obtinere quisque quod rogauerit.
Si tui recuset aruum segne bruti corporis
Ferre frugem, tostum anhela quod siti lubidinis
Aestuet, voca Mariam castitatis auspicem.
Ast opum quisquis laboras sordida cupidine,
Vel graui liuoris aestu, siue fastu turgido,
Siue tristi ira, ad Mariam vorte mentem sedulam.
Si lacessit te acre bellum manium crudelium,
Siue captus heu sub orcum iam profundum abduceris,
Inuoca nomen Mariae, matris omnis gratiae.
Si quatit tentationum turbo pectus lubricum,
Vt procellat, siue morbus te vrget, atque angustia,
Tolle palmas ad Mariam, spem periclitantium.
Nemini fontem perennem diuitis clementiae
Indigenti claudit vmquam facta mater omnium,
Gratiae mater benigna, mater indulgentiae.
Tum queas cantare priscum carmen illud iubilans
De suo templo sereno supplicem vocem audijt
Rex meam, peruenit aureis ad Dei clamor meus.
Concines gratus quoque illud grande misericordiae
Caelitum supreme Rector, munus impetrauimus
In penetrali nitentis aedis augustae tuae.



DE THRONO ILLO EXIMIO, ET SINgulari, quem verus Salomon Christus Rex pacificus sibi praeparauit: cuius typus mirabilis mysticè describitur libro Reg. 3. cap. 10. & 2. Paralip. c. 9.





IRGINEM videre in orbe sospitalem perdito,
Plurimi prophetae auebant, atque Reges editam;
At quia id tunc non licebat, exprimebant symbolis.
Hanc thronus quoque innuebat adfore, artis mirae opus,
Quem gerens pacis vocamen Rex sibi construxerat,
Regum in actis vt refertur luculenter Israel.
Nam videbat corde vates perspicaci Virginem
Comptibus nouis creandam mentis, atque corporis,
Omnibusque augendam abundè gratiarum dotibus.
Quare eam expressisse signis gestiebat mysticis,
Mystica informabat arte, quo futura saecula
Dignitatem Diuae haberent rite contemplarier.
Fecit (inquit scriptor ille) Pacifer sibi thronum
Rex eburnum grandem, & auro vestijt fuluo nimis,
Et gradus adpegit alto sex sedili scansiles.
Bisque senos fecit idem per gradus altrinsecus
In thronum obuersis tuentes frontibus leunculos.
Summa pars postica talis exstitit teres throni.
Tum duae manus sedile continebant aureum
Hinc & inde, vtrasque fuluus stabat ad manus leo,
Editum nec tale in vllis est prius regnis opus.
Cuncta quae claranda nobis, quo patescat gloria,
Et decus summum Mariae: nam videtur barbaris
Inter hanc nil esse, & inter quaslubet mulierculas.

Hic

Hic sacris fuisse libris proditur trinominis
Rex, opus qui tale fecit, quo sederet splendidè:
Verùm vti pacalis istuc factitasse proditur.
Nam typum gerebat eius, condidit qui postmodum
Virginis sibi cubile, pacem vt inter caelites
Poneret, gentemque nostram dissidenteis inuicem.
Haec enim est sella illa felix, vnde laus mortalium
In Deum prorumpit ingens, atque plausus caelitum:
Nempe vbi ipse sessor inquit. En noua facio omnia.
Quippe dum redemptus alter mortis atro limine
Demitur, sarcitur alter diminutus nequiter,
Magno aguntque vtrique grates Vindici concorditer.
Quod sacer percepit olim mente sublata in Deum,
Et Deo monstrante testis abditum mysterium,
Sicuti testatur ipse, cui datùm istuc cernere.
Mox (ait) vidi cateruam conglobatam ex omnibus
Gentibus, linguisque in vnum, tamquã arenam dapsilẽ,
Quae throno adstabat corusco, coram & agno candido.
Haec stolis fulgebat albis, palmeosque ramulos
Dextera victrici habebat tale carmen concinens:
Sit salus throno insidenti Regi, & agno caeliti.
Quin thronum circum omnis illa nobilis caelestium
Procidens pubes supremum rite adorabat Deum,
Gratulansque mille laetis personabat vocibus.
O bene omnis dicat almum numen, & tollat Dei
Laudibus, sapiens feratur solus, & grates pias
Cuncti agant, cultumque reddant, votaque olli debita.
Nostro Hero omnis plaudat orbis terrae, in orasq; vltimas
Nomen extendat verendum, summo honore clareat.
Sit potens, pollensque abundè per perenne saeculum.
Hanc probè cognosse Patrem sessionem filij,
Et probasse, testis ipse filius dicens Patri,
Tu Deus tu nostram habebas sessionem cognitam.
Sed prius consyderemus, cur metallo argenteo,
Aureoque omisso, & aere nobili corinthio,

Primum ebur fulcrum curulis auspicetur regiae.
Dens bouis candore lucae praeminet spectabili,
Praeminet, polletque abundè viuido idem robore,
Frigidoque constat vnà, & alsioso corpore.
Et quid istac inuenitur singulari virgine,
Quod magis candescat vsquam, quae sui adspectus niue
Adlicit Regem supremum, regiamque curiam?
Fortius quid exstat vsquam, quid viget robustius,
Vasa per quam summus heros diripit fortissimi,
Et vicem armatae phalangis praebet vna bellicae?
Alsius quid denique illa nobili frigedine,
Quam Dei virtus obumbrans texit obtentu suo,
Noxio ne quidquam ab aestu posset vmquam laedier?
Hisce nec praefertur aurum saecularis scientiae,
Nec quidem argentum sonorum candidae eloquentiae;
Sed nec vlla gemma ditis gratiae cuiuslibet.
Subijcit diuinus auctor hancce sellam daedalam
Oppido fuisse grandem; sed quid ista Virgine
Grandius pote inueniri, ventre quae concluserit,
Quem nequit tellus, nec aether, nec fretum comprendere,
Vniuersa qui intra & extra complet almo numine,
Quae vigent caeli sub axe, quaeque in oris aetheris?
Altius sustolle mentem, & intuere singulos
Caelitum choros peragrans, comperibis illico
Quidquid exstat grāde, et amplū Diua id esse angustius.
Sentiesque nec quidem alto par vigere in aethere
Quidpiam, soli sed illam conditori cedere,
Sed super quae sunt sedilis membra mens edissere.
Fului (ait) vestiuit auri flore sellam eburneam,
Aureus fulgor metallis vniuersis praenitens
Indicat caeleste numen, quo Maria fulgurat.
Hocce erat quod testis alter conspicatus optumus,
Signum (ait) permagnum olympo tunc in alto adparui
Sole amicta mulier imis lunam habens sub calcibus.
Nec sinam transire, amici, Quòd nimis fuluescere

Adse-

Adserit throno inlitũ aurum. Nam latet quid mysticũ
Hisce verbis, quod lapillos antecellit Indicos.
Quatuor modis inesse dicitur suis Deus,
Primùm inest aequè vniuersis numinis praesentia,
Vnde & esse sortiuntur, atque habent subsistere.
At secundo inesse solis numen efficacia
Dicitur bonis, quòd illos munia ad digna excitat,
Atque obire accendit vnà, quae probat salubria.
Tertio quibusdam inhaeret per suum adflatum pijs,
Atque menti inspirat ollis quae gerenda in posterum,
Consilique arcana pandens conscios sui efficit.
At modo peculiari, & ante inaudito omnibus
Virgini cohaeret vni, & vni inest aptissume,
Vt suae congerminascens flos virenti arbusculae.
Vt suae stirpi propago, germen vt plantae suae.
Hic tremiscat cunctus orbis, nec quidem ausit hiscere,
Obstupens dignationis huius immensum chaos.
Insidet verbum supernis patrium in cohortibus:
Attamen non stirpe cretum, non eadem origine,
Vt queat dici esse secum, dictum vt almae Virgini.
Addidit throno (inquit) idem Rex gradus senos suo.
Disce mente cogitare quaeque honesta, & candida,
Et gradum primum tenere rite dici quiueris.
Si tuam vero insonare, proloquique insueueris
Fausta linguã, nec pudenda verba ab ore exprompseris
Te gradus secundi adisse noscito altitudinem.
Porro si tractata tecum, & cogitata intrinsecus
Sedulo exercere cures recta, & actu prosequi,
Ad gradus victor volasti tertij fastigium
Quòd si iniquos edocebis, deuiosque induxeris
In viam redisse rectam, & flebiles solabere,
Te gradus quarti adtigisse scito culmen arduum.
Saeculum si infame linquas, atque saecularia
Dona fluxa, vt hospes orbis, spe calens caelestium,
Ad gradus quinti cacumen subsilisti gnauiter.
His

His bonis si persidere firmiter curaueris,
Metā adusque summā inhaerens hac graui in sententia,
Tum gradus sublimitatem sexti habes, & vltimi.
Talibus columba felix compta in arceis se intulit
Aetheris sublimis alis, tali olympi in arduum
Se extulit praepes volatu verticem perniciter.
Has sibi concinnet omnis, qui cupit caeli ingredi
Templa, vbi Regina Virgo caeteris conspectior
Angelorum claritatem non parum reuerberat.
Quòd si ais caelo receptos gente de nostra ordines
Sex gradus throni, super quos Virgo sancta attollitur,
Hoc perinde corde scito, & erudito habebere.
Nunc age expedire perge quae sequuntur protinus
De throno regesta sacris virginali annalibus.
Parte postica (inquit) eius summitas rotunda erat.
Haec erat mitis Mariae gloriosa adsumptio,
Quando eam caelestem in aulam sydere ornatam caput
Extulit, thronoque celso collocauit filius
Regia admirante caeli, caelitumque exercitu,
Inuicemque sciscitante cum stupore maxumo.
Quae nam ab oris sponsa in astra surgit orbis squallidi
Tam venusta, ac delicata innixa dilecto suo,
Gratijs cunctis abundans, ac nouis leporibus?
Queis ferunt responsum ab alijs, haec eapse est inclyta,
Quae licet praecincta sacro virginali baltheo,
Vnicum summi Parentis ventre pignus florido
Edidit, cuius reclinis nunc quiescit brachijs.
Haec ea est, quae prorsus omnis pura viuens noxiae.
Noxiale obtriuit atri calce serpentis caput,
Et genus mortale mortis expediuit cassibus.
Quin & ipsam contuentes filiae clarae Syon
Virginem matrem supremi Principis lectissumam,
Omnibus cultam decenter comptibus praesignibus
Clamitant id beatam, praedicant laudabilem,
Consonisque ad astra tollunt sospitalem Heroida

Voci-

Vocibus carmen sonantes illud inter caetera.
Haec ea est quam Rector altus expetiuit caelitum,
Et puellas eleganti vincit omneis gratia,
Quae Salem colunt quietae ciuitatis moenia.
Sicuti vidistis illam plenam amore candido,
Atque dulci comitate blandiorem caeteris,
In cubilibus pudicis, hortulisque aromatum.
Sed refer postrema Diuae cur rotunda dicitur
Pars fuisse, vita nempe quòd caduca in perpetem
Transiit rotunditati comparatam interminae.
Sed sequens edisseramus, quid duo, & decem velint
In throni stantes vtrinque quolibet scymni gradu,
Semetipsos contuentes, & throni fastigium.
Nempe primores magistros, terrae & orbis lumina,
Quos prius delegit omni gente, vt humanum genus
Gnatus eius erudiret, ad fidemque adduceret.
Hi cluent parui leones, siue propter maxumum,
Quem tribu de Iuda oriri Patriarcha dixerat.
Nam vocari stirpem alumnos quis magistri nesciat?
Siue binos propter alios principes Apostolos:
Nam licet sint magni & ipsi, comparati his maxumis
His minores esse multis arguentur partibus.
Id docet vero esse magnos, quòd pauoris nescij
Omnis, hostes veritatis territarunt acriter,
Ceu graui rugitu, vbique praedicando gentium.
Porro stantes virginalis per throni subsellia,
Indicant nequisse summae tangere excellentiam
Virginis, sed optumo illam iure demirarier.
Quid throni demum sedile, quidve signant brachia,
Et manus illud tenentes, cor nisi almae Virginis
Duplici fultum actione mentis, atque corporis?
Nam domus habere curam, seduloque identidem
Vnicum suum solebat educare filium,
Tum simul terris relictis celsa contemplarier.
Praepetes leuabat alas mentis in procestria

Aetheris,

Aetheris, Deumque totis hauriebat sensibus,
Et manu sollerti obibat si qua opus facto forent.
Nec quidem nec vero abhorret, immo vero consonat,
Duplices dixisse palmas Patrem, & almum spiritum,
Qui simul firmam tenebant matrem amati filij.
Tale erat textum sedilis, saeculis quod omnibus,
Se se ait quaesisse retro, posset vt quiescere
Rex amicus pacis almae, nec potesse offendere
Hac nisi in dia puella, caeterae dum fluctuant
Pectorum fretu aestuoso, & carnis impotentia,
Vnde nec praebere quiuit vlla pausam principi.
Nullus vmquam sede sedit Rex sua pacatius,
Ac beatae pacis auctor virginali in sellula,
Quam statu recto nequiuit vlla vis euertere.
Non eam turbauit atrox ventus insolentiae,
Non malus liuor, nec aestus vllius cupidinis,
Non metus, dolorve fregit, mansit vsque immobilis.
Eia demum & par leonum quid moramur eloqui
Qui forent, alter sinistrae, dexterae alter adsiti,
Daedali fulcrum sedilis, quae tenebant firmiter?
Hos duos scito optimates destinatos Virgini
Exstitisse, vt adiuuaret functiones corporis
Alter, alter functiones adiuuaret spiritus.
Nam Patris summi potestas deputauit dexterae
Gabriel, menti tuendae fulgurantem Archangelum,
Improbus ne posset hydrus impedisse sedulam.
At suo dilecto alumno sustinendam tradidit
Filius sinistram, alendum corpus, & vitam suae,
Nempe custodi integello, Matris integerrumae.
Hisce binis dictum & illud scito de custodibus.
Rex habebat pacis almae vineam carissumam,
Sedulisque eam tuendam tradidit custodibus.
Hi gerunt nomen leonum propter ardorem insitum,
Mentiumque acrem vigorem. Nam retundit daemonas
Fortis Ales. factiones terret alter impias.

Quippe

Quippe is est, qui vibrat ore verba fulminantia,
Intonans Verbum supernum prima ab vsque origine
Extitit, verbumque patre cum suo semper fuit.
Nec satis visum perito quae supra digessimus
Cuncta scribae prodidisse, ni quoque ijs subiungeret,
Non opus fuisse in vllis tale regnis conditum.
Quo quid vmquam quibat aliud dicier disertius,
Clariusve ad exprimendam Virginis praestantiam,
Gloriamque singularis, & decus mirabile?
Hic patet profecto abundè nec super caeli plagas,
Nec super terras, nec vsquam filium magni Dei
Factitasse comparandum quidpiam Matri suae.
Nam licet complura constent facta in oris aetheris,
Terreoque in orbe, & infra magna, nil tamen viget
Vspiam par, aut secundum conditum manu Dei.
De throno hocce Euangelista veritatis buccina
Mente crebra vidit olim promicare fulmina,
Et graueis prodire voces, & tonitrua horrida.
Quippe terret gentem atrocem perditorum daemonum,
Haud secus quàm fulmẽ ardens, at pijs blanda adfauet,
Hisque opẽ praebet salubrem, spemque vitae perpetis.
Huic throno submittit agmen caelitum de vertice
Proprio demptas corollas indicans partum decus
Virgini debere magnae, splendidamque lauream.
Sin lubet pernosse quidnam de throno hocce creuerit
Vnici Sator coaeui, mente conde oracula
Ore veraci profusa nescij mentirier.
En semel iuratus (inquit) per decus magnum meum
Sum meo Duci fideli, nempe semen inclytum
Illius manere in aeuum velle, numquam defore.
Tum thronum manu pararit quem sibi ipse daedala,
Cum nitenti Sole & astris, cumque Lunae lampade
Perpetim volo vigere, testis in caelo Deus.
Nunc virum rursum audiamus, cui thronum legauerat
Hunc suum custodiendum, quom redire ad maxumum

Rex patrem Deum pararet, de throno hoc quid viderit.
Dum tuebar, ecce obortus est mihi in caelo thronus,
Et super thronum sedebat sessor admirabilis,
Huic erat vultus coruscus fulguranti iaspidi
Concolor, sardaeque rubrae, porro cingebat thronum
Lumini suppar smaragdi daedala Iris vndique,
Tale mi visum sedile'st, talis & sessor simul.
Hic chelys sacrata pande, tota cur smaragdino
Arcuato Diua limbo dicitur circumdari,
Quid ve iaspis signet ille, quid lapillus sardius.
Primo habe fidem puellae denotari immobilem,
Spemque viuã, pectus almũ quae perennè obsaepserat,
Talem enim sensum virenti luce gemma suggerit.
At satum paternum iaspis, atque nulli effabilem,
Quo satus cum Patre pollet, fert honorem comparem,
Sarda dat quam cepit heros indolem de Virgine.
Sed quid est, quòd alter auctor nobilis sapphirino
Hunc se ait thronum intueri concolorem lumini,
Ac super firmamen alto constitutum in aethere?
Volt ita induxisse mira puritate Virginem,
Deditam rebus supernis, id colore gemmae agit,
Tum super coetus locandam firmiter caelestium.
Vidit id sacer propheta, nec fefellit visio.
Haud enim virgo alma caelo addicta erat tantummodo,
Sed fuit quoque ipsa caelum longè olympo celsius.
Hocce erat caelum illud ardens, dictum ab ignis nomine,
Quo Deum Psaltes parata sede sessurum incinit,
Et daturum iura cunctis praesidentem gentibus.
Hoc suo tamquam in cubili constitit Solis rota,
Vis flagrans diuinitatis, hoc eodem constitit
Luna, idest humanitatis luculenta adsumptio.
Hocce erat quod mens prophetae, qui cluet salus Dei,
Viderat sublime solium, & eleuatum maxumè,
Atque humũ oppleri insidentis totã honore Principis.
Hocce erat quod ipse cantat, habito ego in sublimibus,

Caelitum colo cateruas, noster autem immobili
Nobis haeret in columna perpetim fixus thronus.
Hoc item quod praeparandum dicit in clementia
Praescius sedile vates, quodque cana in saecula
Firmum ait sacer futurum scriptor in paroemijs.
Tanti opus penditque, amatque comparis gnati Pater,
Ut nihil negasse nobis sufferat rogantibus,
Si modo obsecremus ipsum per thronum sui Vnici.
Proinde crebra comprecemur voce vatis supplici,
O pater throni memento gloriae sodes tuae,
Ne irritum nobiscum in auras ictum eat foedus tuum.



DE FERCVLO SALOMONIS HEbraicè dicto אפריון Graecè φορεῖον, quod erat typus Virginis. Cant. 3. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, &c.





EC quidem ambigo fuisse Virginis matris typum,
Quam refert fecisse thensam Salomon in canticis,
Commode vt cubare posset, ac vehi regaliter.
Sed mihi perpende sodes diligenti examine.
Quis nam opus pararit illud, quasve res impenderit,
Nec procul me abesse vero protinus fatebere.
Primum enim talis repertor nuncupari Salomon
Proditur texti, fuisseque omnibus potentior
Rex opum splendore, & alta praeditus prudentia.
Proditur regnasse genti non proteruae, ac barbarae,
Sed fideli, ac mansuetae, quae Deum cognosceret,
Illiusque cultum haberet, ceu sonat vox Israel.
Ferculum porro è recisis monte lignis Libano
Fecerat faber, columnis fulseratque argenteis.
Tum solũ omne instrarat auro, & culmen ostro fulgido.
Parietem vero pyropo, ferculi qui inter basim
Stat medius, culmenque summum, gemmula vestiuerat
Caritatis, propter almae filias Hierusalem.
Tale erat Regis beati mysticum vectabulum,
Talis ipse Rex, sed vmbram conferamus corpori,
Et figuram veritati luculentae euanidam.
Salomon denominatus pacis à vocamine,
Quae Syris שלום *vocatur, indicat Christum Dei*

Filium, qui nostra pax est, tum sui pax ipsius.
Quòd potens Gazis vigeret, ac perito pectore
Denotabat Regem eumdem, qui cluet sapientia
Patris almi, & sempiternis pollet idem copijs.
Quòd piae genti imperaret, atque cultrici Dei,
Rege cum nostro benigno congruit quoque id probe,
Qui bonorum est imperator, & Deum colentium.
Verus ergo noster iste Salomon Rex pacifer
Ferculum sibi parauit tam vetusto clarius,
Quàm suam praecellit vmbram corpus adspectabile.
Hoc erat matris sacratae sensilis lecticula,
Quam sibi Rex perpoliuit, quando corpus sumere,
Ac vehi creuit per orbem summus orbis conditor.
Quippe in eius ventre puro, ceu cubili in regio,
Rex nouem menseis alescens conquieuit integros,
Ac velut sella in curuli vectus est regaliter.
Moxque natus pulcer infans Matris vlnis candidis,
Et sinu gestatus almo'st, dum papillas sugeret,
Sic vehi visus frequenter virginali in sellula'st.
Talem (ait vox sacra) thensam de tigillis, cedrifer
Libanus quae fert, fuisse factam, idest propagine
De piorum, qui perennes nuncupantur arbores.
Nam velut Phoenicis orta sylua montis arduis
In iugis robusta longùm peruiget, sic sanctior
Durat incorrupta proles nescia imputrescere.
Addidit faber columnas de metallo argenteo
Rex quaternas, vt quaternum virginalis corporis
Temperamen indicaret esse lympidissumum.
Quin potest per has columnas fulcienteis ferculi
Machinam rite indicari quatuor virtutibus
Virginem fuisse nixam, ne labaret, regijs.
Quid solum vero illud aureum, quid pauimentum dabat,
Quo solebat ille plantis Rex beatus nitier,
Nisi animam Diuae nitentem diuiti sapientia?
Quippe fulgor signat auri mysticè lucem intimam,

Et iubar, quo praeter omnis virgo prudentissuma
Fulgurabat, vnde mulier Sole amicta dicitur.
Et quia antistat decore praenitenti caeteris
Aureum corpus metallis, denotare noscitur
Indolem Reginae honestam, & continentiae decus.
Tum quia probatur esse semper incorruptile,
Exprimit simul fuisse corpus almae Virginis
Floridum, & corruptionis prorsus expers putidae.
Hoc suum cubile terram dictitat Rex caelitum,
Caelum, ait, mihi sedile'st, terra vero fertilis
Est pedum scamnum meorum, nempe corpus Virginis.
Ergo nec mirari oportet Virginem tali indole
Ventre concepisse puro principem sapientiam,
Quae prius sellam dicasset viuidam olli pectoris.
At micans succis lacunar purpurai fulgidae
Igneum mentis vigorem praeferebat Virginis,
Tota quae flagrabat alto complacere numini.
Ostrum ad haec signat decorem luculenti corporis,
Signat os natiuo honore, & liberali gratia
Praeditum, ac sacrum pudorem, tum verecundũ decus.
Signat & splendorem adeptam regiae eminentiae
Ob suum conceptum herilem, & principatus gloriam.
Ostrum enim'st insigne Regum, principumque illustrium.
Quin rubor perculsa acerbo Virginis praecordia
Is dabat doloris ictu, quando atroci in funere
Vnici est confossa mater mentis alto volnere.
Nec minus rubebat eius mens amore saucia
Intimo, dum gnatum aueret contueri, ac perfrui,
Postquam ea in terris relicta, se in patris domũ intulit.
Quare eum supplex rogabat ingemens dispendia
Temporis, moramque longam, saeculo vt se abduceret,
Saepiusque vrgebat illud, sponse me post te trahe.
Hasque adeo dabat querelas moestula, atque lugubris
Alloquens fidos ministros, & choros caelestium,
Qui sibi adstabant frequentes expediti ad nutũ Herae.

Vos

Vos rogo, vos ò supernae filiae Hierusalem
Nunciate nostro Amori, vt langueo deperdita,
Langueo consorte dulci, maccrorque dissita.
Denique ipsa vim potentis haud ferens desyderi,
Clamat ò mi multum amate sponse, sodes, indica
Quo loco pascis, cubesve lucido in meridie.
Indica, ne forte coeptem deuia incerto pede,
Ceu pecus carens magistro, per tuorum ignobilis
Digredi errabunda caulas, & greges sodalium.
Quin & ante quàm veniret obsecrabat sedulo.
O meus dilectus hortum migret in suum huberem,
Et sua ipse poma carpat, quae sua seuit manu.
Caeterum ille intergerinus fulgurans carbunculo,
Dite gemma caritatis, virginale corculum
Fert Dei repletum amore, & totum opertum lumine.
Per fidem Christus vigentem, perque amorem iugiter,
Perque spem colebat illud dulce diuersorium,
Vnde vt igne massa ferri, sic Deo illa incanduit.
Praeparat cor tale summo splendidum sacrarium
Numini, caeleste numen munus agnoscit suum,
Hoc amat, suaque honestat nobili praesentia.
Sicque totam mancipauit se omnibus virtutibus,
Et Deo, sic templum opimum dedicauit numini
Trino, & vni, sempiternis quod teneret saeculis.
Tandem opus quòd tale propter filias Hierusalem
Editum sit, intimatur ob salutem publicam
Virginem esse sospitandi procreatam saeculi.
Quòd si ais regale magni Salomonis ferculum
Hòc, suum thronum fuisse, lectulumve daedalum,
Quem viri circumdedere bis triceni strenui.
Hoc item potest probari, si reclinatorium
Aureum, vetus quod auctor vertit, esse dixeris,
(Quod licet) fulcrum beatum mollicelli lectuli.
Coccinum quod vero ibidem vortit adscensum, indicet
Quod super thorum solebat stragulum distendier

Ful-

Fulgidis succis rubescens nigricantis muricis.
Porro quod traducit idem media talis ferculi
Esse operta caritate, delicet cara admodum,
Reque multo dignam honore culcitram fartā adfatim.
Hisce rebus praestitutis, dic reclinatorium
Aureum, corruptionis prorsus omnis nescium
Esse ventrem virginalem castimonia aureum.
Hoc enim, ceu fulcro honesto, se reclinauit pius
Rex olympi, hoc sospitator conquieuit gentium,
Quando venit caeli ab oris sospitare perditos.
Hic erat totus nitore fulgurans sapphirino,
Sicuti de ventre sponsi sponsa sacra praedicat,
Quem vicissim & ipse saeptum dicit albis lilijs.
Ventris huius dignitatem foemina illa nobilis
Senserat, quae clamitauit praedicante filio.
O beatus ille venter alme Rex qui te tulit,
Stragulum vero illud ostro fulgidum dic Virginis
Esse rerum imbutum amore spiritum caelestium,
More lanae incoctae aheno purpurantis muricis.
Hunc sacrum ardorem crearat filij diuinitas,
Cui volens suum incolendum corculum substrauerat,
Vnde factus matris vnus, atque prolis spiritus.
Ergo vti consumptor ignis (teste sacro oraculo)
Numen ardet; sic Mariae spiritus flagrans sacer
Canduit coniunctus igni fulgurantis numinis.
Vnde ei terrena rerum cuncta erant fastidio.
Iam nihil desyderabat, ni ampliori gratia
Adfici, si posset, atque gloriam summi Dei.
Quàm bene ergo cor dicatum totum, & addictum Deo,
Numine instinctum superno vota per caelestia
Nomine insignitur ostri, regijque straguli.
Lectuli dic vero medium, culcitram videlicet,
Siue puluillum esse Diuae luculentam Virginis
Animulam, quae corpus inter, spiritumque interuenit.
Hanc refert fuisse plenam caritate flammea,

Quòd vigore tota amoris esset offertissuma,
Vt vocari amor potesset, non amoris particeps.
Quippe quo Deus subiuit ventrem in eius tempore,
Ex eo repleuit animam virginalem caritas,
Induitque Virgo nomen caritatis feruidae,
Quod Dei peculiare constat esse, ac proprium.
Me (canit) Rex introduxit cellulam in vinariam,
Et suum mi insigne nomen caritatis indidit.
Vnde mox diuini amoris clamat icta volnere,
Floribus fulcite amici, mala mi substernite,
Mala odora, nam misella caritate oblangueo.
Nec nouum, hanc languere amore, quae sui cari Vnici
In suo signatam habebat corde viuam imaginem,
Dextero impressam lacerto, sicut ipse iusserat.
Pone me (inquit) vt sigillum corde fixum in intumo,
Brachio me insculpe amanti, quippe fortis caritas
Mors vt atra, dura vt orcus viuida aemulatio.
Illius flammae calescunt, flammae vt acris fulminis,
Multae aquae quiuere numquã caritatem exstinguere,
Fluminum nec obruent hanc impetus torrentium.
Restat vt quoque explicemus quid monerent mysticum
Bis triceni heroes illi, lectulum qui regium
Ob pauores ambierunt turbulentos noctium.
Hi dabant fortem cohortem, quae tuebatur tribum
Iudae ab omni clade tristi, ne tyranni excinderent
Funditus, qua dia habebat haec puella nascier.
Nam malus delere daemon semper exarsit genus
Hoc sacrum vi perfidorum, ne cubile existeret
Indidem Christi, timores hi vocantur noctium.
Nec minus mihi videtur per manum praestrenuam
Hanc ducum procinctam ad arma, militum caelestium
Innui sacros tribunos cum suis cohortibus;
Qui cauerent, ne superno dedicatam Principi
Daemonum contaminaret gens profana regiam,
Et simul suam obsequelam commodarent Virgini.

Quòd refert fuiſſe tales robur omnis Iſrael,
Exprimit de claſſe prima, & de choris primarijs
Exſtitiſſe, qui ſupremo ſemper aſſiſtunt Duci.
Quòd refert fuiſſe doctos bella obire ſtrenua,
Innuit ſollertem eorum, prouidamque induſtriam
Ad furorem comprimendum, telaque infenſa hoſtium.
Quòd tenere dicat enſeis quemque eorum ferreos
Ad latus bellare promptos, ſignat hoſce maxumis
Viribus pollere ad illos profligandos fortiter.
Sic ſui defenſitarunt Regis almi lectulum
Floridum, ne dira turba daemonum deperderent
Floſculorum ſerta odora, quis refulget perpetim.
Idque factum vt germinare poſſet hic feliciter
Floſculus perennis ille, & germen oblectabile,
Qui canit, ſum floſque campi, & lilium conuallium.





DE CANDELABRI NOMINE MARIÆ caeli Reginae attributo. Zach. 4. Vidi. & ecce candelabrum aureum totum, &c.





IAMDIV me exspectat illud aureũ candelabrum,
Quod Dei memor propheta ferre vidit lampada
Parte summa, & septem habere desuper lucernulas.
Ad latusque vtrumque clarae lampadis cohaeserant
Binae oliuae fronde glauca, bacca onustae dapsili,
Cuncta quae discussa fragrant miro odore symbola.
Ille enim lychnuchus auro ductus è putissumo
Diuae erat Dei futurae matris omen splendidum,
Nil reprẽdi introrsum habentis, nilq; dignũ extrinsecus.
Quam suus commendat auctor elogio praenobili.
Tota (ait) formosa amica nostra, tota amabilis,
Tota ab imis pulcra plantis, candida vsque ad verticẽ.
Hunc pede institisse trino scito nixum firmiter,
Quòd fides fultura pectus, ne labaret Virginis,
Spesque erat sufferta amoris igne flagrantissumi.
At facem gerens coruscam rectus in cacumine
Scapus intentam ad supernum dat Deum mentem fore;
Qualis huius exstitisse mens puellae proditur.
Fulua fax porro ingerebat emicans è stipite
Egredi debere ab ipsa mox iubar mirabile,
Quod plagas squallentis orbis luce clara adcenderet.
Nec silebo quid lucernae mysticum portenderent.
Hae dabant officia septem, quae vocant clementiae,
Siue septem dona sancti luculenta Spiritus.
Hisce erat comenda sacris dia sponsa cultibus,
Haud secus quam rorulentum pratulum distinguitur

Floribus rubente vere ſuauiter ſpirantibus.
Adde ad haec quòd nomen iſtuc ſplendidum candelabri
Virginem dabat futuram caſtitatis auſpicem,
Atque laturam pudoris poſteris ſacri facem.
Si iuuat demum illae oliuae quid forent pernoſcere,
Dextera igneae tenentes, atque laeua lampadis,
Illae erant duo beati principes Apoſtoli.
Clauiger caeleſtis alter, Doctor alter gentium,
Qui proceres terrae decori ſemper adſtant Principi,
Et ſuae miti Parenti, dulce lumenque hauriunt.
Dicti oliuae voce ſacra, quòd per illos nuncia
Creuerit referre mundo pacis aeternae Deus,
Et fidem ſemper virentis veritatis pandere.
Hinc liquor manauit ille, quo peruncti euadimus
Sacra gens, & ſancta Chriſti Regis aucti nomine,
Et ſacerdotale clarum culmen indipiſcimus.
Quare & ipſi congruenter audiunt candelabra
Bina, duplicesque lychni, quòd fugata pectorum
Mira peruolgauit orbem lux per hos caligine,
Vnde funus virginale iure pollinctoribus
Proditur curatum ab hiſce, tum ſepulcro conditum,
Quom Parentem venit ad ſe Rex ſupernus tollere.
Qua die corona fratrum Virginem electiſſumam
Iam iacentem ad aſtra miris extulere laudibus,
Caeteroſque Antiſtes inter Petrus orſus edidit.
Gaude iò thalami ſuperni ſponſa, & ò thearchici
Luminis candens labellum, claritas qua adparuit,
Et iubar caeleſte mundo perdito caligine.
Ciuitas Solis triluci, porta ſummi principis,
Porta, quam vidit Prophetes obſcratam vectibus,
Nec vir vllus limen almum permeabat greſſibus.
Regium ò ſponſi cubile florulentum caelitis,
Quo Pater caeleſtis Agno, qui nefas mundi eluit,
Gratijs ſponſam nitentem copulauit omnibus.
Hic torum taedis beatis ſtrauit almi filij,

Et sacrata nuptiarum foedera auspicatus est,
Vnicum suum coronaque induit spectabili.
Fulgido aduelauit ostro, Regijsque insignibus,
Et dapes parauit amplas splendidi conuiuij
Omnibus sponsi benigni sobrijs sodalibus.
Tu leuis nubes corusca, mensa panis mystici,
Iudicis summi tribunal, vrna manna continens,
Candicantis ara caeli, candidum agnum gestitans.
Tu Dei templum serenum, cella sacra aromatum,
Principis caelestis ardens purpura, altare aureum,
Aula opima sempiterni Regis, augustus thronus.
Haec perennis gratiarum fons, acerraque aurea,
Hortulus nulli reclusus flore vernans perpeti,
Atque summi amica Regis, Spiritus sacrarium.
Haec volumen illud amplum Patris inscriptum stylo,
Quo suum Verbum renatum scripsit ipse Altissimus,
Vt legatur vniuersis exaratum gentibus.
Tu Dei sublimis aptus millibus laetantium
Flammeus currus sedentis flammeos super choros.
Quo graueis fudit quadrigas vectus aduorsarias.
Haec opimus astra tangens lucida alto vertice
Mons, vbi insidere gaudet, insidetque perpetim
Cretus istoc monte sancto mons supremus montium.
Quem bonus coniector olim montis abruptum iugo,
Ceu petram sine arte vidit primitus, sed postmodum
Montis increuisse molem, cuncta quae latè occupet.
Haec fenestra excelsa caeli, quae iubar laetabile
In nigrore mortis atrae detulit sedentibus
Atrium lustrans capacis orbis alto lumine.
Nempe vbi nostro cohaesit qui crearat omnia
Parieti artifex supremus, perque eam nos adspicit,
Et sua nostras tenebras discutit praesentia.
Hac repulsa de virenti sede luci amabilis,
Inque terram foetam acutis exsul acta sentibus
Gens subimus templa caeli, regna pridem imperuia.

Haec

Haec quoque ille campus huber, quo satus qui dixerat:
En ego flos campi odorus nullius satu sati,
Nec manu humana, sed almo rore caeli fertilis.
Haec erat promissa quondam terra priscis patribus,
Terra dulci lacte abundans, atque mellis riuolis,
Quae tulit vitae perennis perpetem dulcedinem.
Haec via'st, qua venit ad nos sospitator gentium,
Quaque nostrum extorris ante quisque factus municeps
Aetheris serena olympi scandimus fastigia.
Haec oliua pinguis, vnctum quae tulit sancto vnguine,
Vinea Aegypto reducta, pulcra nardi arbuscula,
Cedrus enodis comanti fronde vernans iugiter.
Haec columna firma mundi, gaudium mortalium,
Scala tollens ad superna regna gentem flebilem,
Nauis ad portum salutis conuehens erraticos.
Haec quoque arcus ille postus caeli in altis nubibus,
Quo Dei cor volneratum dulci amoris spiculo,
Tu meum cor volnerasti sponsa (ait) mea, & soror.
Vno ocello volnerasti cor meum, volatili
Ceu sagitta missa in altum, & volneratum candidi
Crine colli me illigasti, meque deduxti aethere.
Haec piae tutela gentis, iuge propugnaculum,
Hostium terror ferocum, maniumque immanium,
Iubilum caeli perenne, cantus immortalium.
Haec parens numquam occidentis, atque alumna syderis,
Igneum Solis beati mentium petoritum,
Nuncia arcanae diei, dulce Verbi vmbraculum.
Haec amicta Sole mulier, daedalae arcus iridis,
Ferculum Regis supremi, vasque sacrum electrinum,
Gloriae corona fulgens, purpureaque taenia.
Haec rubus non igne laesus, virga Iesse florida,
Iesse radix, cinnamomum, balsamumque nobile,
Gemmei sertum decoris, suaue candens lilium.
Virginumque Virgo princeps, delicatus hortulus,
Atque veri scutum Ihesu, lectulusque floridus,
Sem-

Sempiternae porta lucis, aureum ἱλαστήριον.
Haec piorum ſtemma Regum, fulgur ardens mentibus.
Mite lenimen dolentum, lychnus orbis luridi,
Et recludens obſerata clauis aethrae limina.
Talia inclytus canebat cum ſuis aequalibus
Petrus extollens parentem ſempiterni Principis,
Qua die emigrauit alma Virgo caeli in atria.
Hactenus tuum Maria concelebraui decus
Priſca vatum ſcripta perſcrutatus, atque interpretũ,
More apis libantis omneis floſculorum gemmulas
Prata per, ſaltuſque laetos, hoſque praedulces fauos
Carminum confeci, alantur queis piorum pectora,
Et trahant deuotionis inde ſuccum melleum.
Tale quid ſponſus ſpopondit (vt reor) tibi antea.
En tibi excudemus (inquit) cum notis argenteis,
Quo queas comi decenter, aureas muraenulas.
Quòd mihi ſi tempus huius Alma vitae proroges,
(Nam potes Gnato annuente) multa adhuc praeconia
Concinam tibi, nec vmquam te ſonare deſinam.



AD

AD CHRISTVM REDEMPTOREM GRATVLATIO.




EX Christe tandem ad vmbilicum adduximus
Opus sacratum Matris in laudem tuae,
Non marte nostro, viribus nec propriјs,
Vestri sed almi numinis praesentia,
Ductuque nixi, quo soletis optima
Adesse quaeque sedulo inchoantibus
Vterque Gnatus, & parens piјssuma,
Quòd si superstes vita adhuc nobis fuat,
Vestro fauore freti, & alma gratia
Pulsare vatis inclytam testudinem,
Profudit oras quem sereni in luminis
Thebe relictam posteris, tentabimus.
Aptare plectroque eleganter Dorico
Nitemur alta Virginis praeconia,
Norint vt omnes illius praestantiam,
Decusque celsum, nam videtur barbaris
Nil interesse hanc, caeterasque foeminas.
Nitemur huius candicantis syderis
Facem sequentes, & nitorem praeuium.
Nam nuncupatur caeruli sydus maris,
Et stella Matutina, stella regia,
Incincta crine tota corpus aureo.
Et luna pleno fulgurans vibramine,
Quae tetra abacta mentibus caligine
Vitale lumen suggerit mortalium,
Qui saeculum perambulant nocte obsitum
Tenebricosis inuoluti ambagibus,
Ruuntque caeco caespite ignorantiae.

Tibi ergo grates maximas Rex caelitum
Supreme habemus, maximasque habebimus,
Matrique sanctae, membra donec spiritus
Reget caduca, nec caducis artubus
Umquam soluti gratulari in posterum
Vobis perenni desinemus tempore.

AD DEI GENITRICEM.






ENERANDA *virgo mater,*
Pia mater alma Virgo,
Domina aetheris corusci
Maria aequor acre vertens
Maris in perenne nectar,
Redimita luminosa
Face syderum micantum,
Redimita corpus almum
Rutilis comis rosarum,
Hyacinthinisque sertis.
Radijs amicta Solis,
Iubar aureae venustis
Pedibus premens Dianae;
Cape tu quoque alma nostrum
Soboli tuae dicatum
Superùm Regi beato,
Veluti monile quoddam,
Viriamque margaritis,
Viridantibusque gemmis
Varium poema sertum,
Tibi vti perenne nostri
Monumentum amoris exstet;
Et opem feras benigna
Mihi in hacce commoranti

Regione mortis atrae.
Nec adesse denique hocce
Mihi saeculo emigranti
Renuas, sed ipsa praesens
Animam hanc misellam in oras
Facias venire caeli
Nitidas, vbi te apertè
Videam, tuamque claram
Faciem videndo carpam
Sine fine gaudium omne.

IN DIVVM LAVRENTIVM MARTYREM.




EMO te sacro fidei vigore
Magne Laurenti statuit trophaeum
Clarius, victo grauiore monstro
Hostis acerbi.
Quippe vesanam Decij iubentis
Praua fregisti rabiem tyranni,
Mente conantis solida mouere
Te sacer Heros.
Sed nec insani ferientis ictus,
Nec truces flammae, calidaeve prunae,
Dira nec cratis superare pectus
Nobile quiuit.
Igne flagrabat lacerum flagellis
Corpus aeratis, radijs amoris
Intus ardescit iuuenis beati
Magnanimum cor.
Cor pium sancti facibus caloris
Christus accendit pugilis ministri,
Crate distentos male torret artus

Tortor iniquus.
Sed sacer feruor fidei vigentis
Ridet ardorem cruciantis hostis.
Nulla vis nixum pietatis alta
Decutit arce.
Taleque examen nitidis piorum
Agmen explorat thalamis locandum.
Aurifex fuluum quoque tentat aurum
Indice tali.
Acre certamen superùm frequentes
Mente spectarunt alacri cateruae,
Atque victori capiti corusca
Serta pararunt.
Martyr ò Christi generose salue,
Ter mihi salue, proprios Quirites
Sospita, sedemque tuere magni
Praesulis almam.

HYMNVS IN BEATVM PATERIVM Episcopum Brixien. Versu Choriambico.






VBLIMEM Pateri progenies pia
Debemus meritis tollere laudibus
Virtutem proprij praecipui patris
Hac saltem celebri die.
Antistes patriae qua subit inclytus
Nostrae caelicolùm templa micantia,
Nobis exuuias corporis aureum
Linquens depositum sacri.
Hic est qui Domini fodit amabilem,
Et scitè excoluit vineam, vt huberes
Posset perpetuo tempore fundere
Foetus palmite fertili.

Hic pauit pecudes prata per herbida
Pastor syderei Regis, & improbos
A sacris gregibus distinuit lupos
Semper peruigil excubans.
Quis fari valeat quot mala pectore,
Quot forti retulit mente molestias,
Dum carum adsereret clade peculium
Mandatum fidei suae.
Sic dignus superis coetibus inseri
Ornandus viridi tempora laurea
Migrasti rutilo sydere pulcrior
Magni in concilium Dei.
Hinc sodes famulos respice supplices
Iactatos vario turbine saeculi,
Et diris trepidos solue periculis
Nos Heros patriae decus.

IN SANCTAM MARTYREM EVPHEMIAM.





ANAMVS inuictum decus
Nostrae patronae Euphemiae,
Quae dimicans viriliter
Palmae est adepta gloriam.
Haec oppido Chalcedonis
Prognata claro stemmate
Addicta Christi legibus
Elisit hostis impetum.
Prisci minacis, barbari,
Puella inermi corpore,
Sed spiritu sacro potens,
Christique amore candido.
Nec poena simplex arduas

Sum-

Summi reclusit aetheris
Fores beatae Martyri,
Sed multiplex, atrox, noua.
Nam flagra, & atrum carcerem,
Ignem, rotas, sartagines,
Vicitque denteis asperos
Serrae, ferarumque acrium.
Sic laureanda duplici
victrix corona deseris
Tandem profana saecula,
Adisque sponsum virginum.
Sponsum perennem, maximi
Gnatum Parentis vnicum,
Quem deprecari pro tuis
virgo velis clientibus.

IN EAMDEM.





VNC tuis festis Euphemia adsis
Cantibus vultu radians sereno,
Et feras pacis, veniaeque nobis
Munera caelo.
Atque vt immitis lanij furorem
Rite contempta nece contudisti,
Et decus certans solido tulisti
Pectore palmae.
Sic tua nobis prece sospitali
Impetra, vt virus superemus atrum
Anguis antiqui, vapidasque technas
Mente fideli.
Sicut immanis domuisse poena
Nulla primaeuo potuit puellam
Flore pubentem, rabiesue dira

Hostis

Hostis acerbi.
Sic viros mollis capiat voluptas
Nulla barbatos, nec opum cupido,
Nec malus liuor, vehemens vel aestus
Ambitionis.
Ut Ducem fidi comites secuti
Inclytam caeli subeamus arces,
Hoste deuicto Stygio, petulca
Carne subacta.
Patris excelsi veneremur almum
Numen, & Gnati decus, & superni
Spiritus, cuius iubar vniuersum
Permeat orbem.

TYPOGRAPHVS AD LECTOREM.

VT nequis nos incuriae, aut negligentiae arguat, impresso iam opere, quasdam lectionum varietates (prout in Graecis fecimus) ex manuscripto excerpsimus, & eas cum paucis quibusdã mendis, quae in excusum irrepserant, hic [illegible]tandas curauimus.

Pag. 19. in quibusdam libris irrepsit Tonannis pro Tonantis.
21. vers. 21. insignibu; pro insignibus;
23. vers. 10. al. Sic eam tribus decebat testibus laudarier.
43. vers. 10. caeli in arcem tendere. al. emicare in aethera.
45. vers. 3. corporali tegmine. al. corporis velamine.
64. vers. 2. saepta vna fulget, al. stellata fulget.
77. vers. 2. vt antc. pro vt ante.
86. vers. 28. cladium ingruentium. al. & malorum turbine.
100. vers. penul. corporis gestamine. al. velamine.
112. vers. 11. hanc Minernae, pro Mineruae.
116. vers. 17. Virgo super sydera. pro Virgo supra sydera.
119. vers. 4. ex ea conflatur vnguen, &c. al. ex ea vnguen suaue confit, quo genus mortalium vitae odore recreatur, sanctitate comitur.
145. vers. fausta Aedon, al. blanda Aedon.
156. vers. 12. os iufans. pro infans
167. vers. 10. tantum virorum, &c. al. posset virorũ tot parasse milia.
168. vers. 9. Ferreus quem arguisset, al. prodidisset.
171. vers. 34. Sed prius consyderemus. al. Sed prius dignum relatu.
173. vers. 13. Virgini cohaeret vni, &c. al. Virgini aptus haeret vni, & vni inest penitissume.
181. vers. 28. esse lympi dissimum. al. esse purum, ac lympidum.

Laus Deo Opt. Max. Beataeque semper
Virgini Matri Mariae.

199

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q
R S T V X Y Z Aa Bb

Omnia sunt folia integra.



ROMAE
Excudebat Franciscus Zanettus.
M. D. LXXXIII.

πρὸς Ἰννοκέντιον ἐπίσκοπον ῥώμης [illegible].
[illegible]: καὶ πολλῶν θαυμάζων [illegible] Ἰωάννη-
[illegible] ἀκηκοέναι τὴν δὲ λάθρα [illegible]
τὴν [illegible] [illegible] [illegible].



KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN